AZ.
ELE III
0

BIBLIOTECA NAZ.
140
D
4
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
140
D
4
NAPOLI

LITERARIVM DVELLVM INTER SALERNITANOS, ET NEAPOLITANOS MEDICOS.

VINCENTII DE PETRONE
Ocioſi Academici Neapolitani, & in Salernitano Gymnaſio Primi Philoſophiæ Interpretis.

In quo de Inteſtinorum Phlegmone controuertitur caſus.

VNA CVM MICHAELIS ROCCI
In eodem Gymnaſio Theoricam Profitentis Medicinam
APOLOGIA.

ET ALIO EIVSDEM AVCTORIS LITERARIO ADDITO
De Hepatis Inflammatione DVELLO.

SVPERIORVM PERMISSV.

VENETIIS, M. DC. XLVII.

APVD BERTANOS.

SERENISSIMO PRINCIPI
FERDINANDO SECVNDO
MAGNO HETRVRIÆ DVCI QVARTO.

VINCENTIVS DE PETRONE S.

ARMIS Sapientiam muniri (Sereniſſime Princeps) Ægyptiorum, & Græcorum antiqua olim fuere decreta. Hinc Mineruam Sapientiæ Numen armatam Deam Phydias effinxit, & Muſarum eſſe Herculem Ducem, Poetarum Theologia affirmauit. Et verè inter Arma, & Literas nonniſi amicum debet eſſe commercium. In Caſtris nanque non debellantur hoſtes, à Sapienti Duce Milites ſi non gubernantur; in Liceis de Temporis ruinis non triumphat Sapiens, Mæcenatem niſi Principem habeat. Sub Duce ignaro ſtrenuus vileſcit Exercitus: abſque Principum tutela humiliter Sapientes viuendo, obliuionis ſepeliuntur in aquis. Hoſtium non timent furores Sapientia illorum Ducem armatum Milites ſi cognoſcunt: Heroum ſub clypeo Ariſtarcos, & Momos clara ingenia deridem. Ob Ducis Sapientiam à fraudolentis inimicorum inſidijs eſt liber Exercitus: ſub Principum vmbra impauidi Sapientes quieſcunt. Sapientiæ Ducis ad Orientem hoſtilium armorum obtenebrantur ſplendores: à Principibus benigno ſi Sapientes aſpiciuntur vultu, rabidè Æmulorum viſcera iniqua Inuidia diſcerpit. Non expugnantur mœnia quibus Militum Sapientia eſt Propugnaculum: non opprimuntur Sapientes quibus Principum arma ſunt Munimentum. Imbellis eſt Fortitudo, quam Sapientia non comitatur: vilis eſt Sapientia, quam fortitudo non patrocinatur. Fatis Arma cedunt, Sapientibus armis obediunt Fata; nam Sapiens dominabitur Aſtris: Sunt miſeræ Sapientium Sortes, at Principum ſub alis aureas illi deuolant ad Fortunas. Nata ex ſanguine Sceptra Sapientium Legibus conſeruantur æterna: Armis quæ defenduntur Leges immutabiles remanent in æternum. Marti Quercus dicata calamorum lyconibus exculta augeſcit: Apollini Sacrata Laurus à Principum radijs ſuſcipit incrementum. Ob Literas viuunt Arma: ob Arma immortales ſunt Literæ: hinc viuit in Achille

Homerus, in Homero Achilles: ſpirat in Aenea Virgilius, in Virgilio Aeneas. Libris Imperatorum auctoritas defenditur: Armis defenduntur Scriptores: quam ob cauſam ad Auguſtum olim confugit Occhamus me, illi inquiens, tu defende Armis: te ego defendam Libris. Verùm ſi vera hæc ſunt: Literariam conſcendens ego in arenam, Principem Mæcenatem qui me defenderet eligere debens ex Principibus quem Principem te clariorem eligere poteram? Tu hoſtibus terror. Tu ſublunaribus horror. Tuum expaueſcunt nomen indomitæ Gentes. Ab Auſtro ad Aquilonem, ab Aquilone ad Auſtrum glorioſa de te Fama vagatur. In Solis ortu quæ tuæ naſcuntur gloriæ non cadunt Solis vbi adeſt Occaſus Orientalibus in Oris tuorum geſtorum ad aureos ſplendores Ottomanæ Lunæ denigratur argentum. Illuſtria ob tua facinora tanquàm Heroum Solem Occidentali in Plaga te venerantur Hiperborei Populi. Tuas Regij Generis glorias vnus Orbis non capit, ſed vix illas Sex Orbibus perſtringi tui Principes Ataui exiſtimarunt. Ab vnius nanque Orbis Circulo eorum circumuallari trophæa inuicti illi Heroes non paſſi fuere: pro trophæorum etenim Campo Auguſtis animis vnus Orbis eſt locus anguſtus. Tuæ fronti non tribuit Diadema ſplendorem. Cunis ex tuo ſanguine Regulis Sceptra adnaſcuntur. Ad regnandum ex MEDICEIS Principibus quilibet naſcitur: nec ex Imperijs Sole clarior Terrarum in toto Orbe MEDICEVS Sanguis ſplendeſcit, ſed ex illo ſunt glorioſa Imperia. Et ò fœlices Populi à tàm fortunatis Principibus qui gubernantur. Strenuiſſimos Exercituum Duces, & clariſſimos Sapientium Mæcenates tuos Atauos, Proauoſque conſpexit olim Antiquitas: tantorum Virorum illuſtre Compendium te præſens admiratur Aetas. Marti, & Palladi tu dicatus gladio fulges, & calamo. In caſtris enutritus, & Academijs inter Armorum ſtrepitus, & Literarum Ocia Oliua coronaris, & Lauro. Tuis ergo ſub auſpicijs diſputantem me ne deſpicias. Non enim Occhamos tantummodo Auguſti Principes patrocinati fuere, ſed exterritas quoquè ad ſe confugientes Ceruas.

AD

AD LECTOREM.

NON multorum opuſculum hoc dierum poſt aliquos menſes in lucem ſi prodit, ne mireris ò Lector. Ingenij eſt calamus ſectatus fortunam, infœlicis parentis partus infœlix. Illuſtres viros impugnare, illorum honoris non prætereà detrimentum credas. Deridetur à Scotiſtis D.Thomas, à Thomiſtis deluditur Scotus; at Doctoribus hiſce ſunt deriſiones iſtæ æterna encomia. Sibi contradixiſſe Scotum, ſomniaſſe, vana & confuſa fuiſſe illum loquutum de Scoto audaces quidam coaxant Doctores: at honor ſi eſt honorantis ſunt calumniæ calumniantis. Non quia erraſſe Scotum fatentur, errauit Scotus; nec idcircò apud omnes Scholas formidabilis non eſt Scoti doctrina. Eluceſcunt magis oppoſita iuxtà ſe poſita. Lacrimantem oculum fumus reddit: at lacrymulis expurgatis clarior ille euadit. Rijllum cum Aquila de Auium principatu contendere, Aquilæ quæ imponitur ignominia? Bellantur generoſi animi, quorum cuilibet regnandi eſt innata cupido. Hoſtilibus armis regium pectus offerre non dedignentur Reges: nam ſanguine clariora ſunt diademata. In Literarijs Duellis ſibi gloriam qui comparare non audet, vilis eſt intellectus. Ingenium ingenio acuitur, & ſapientiori primus nunquam tollitur locus. Maculam non patitur aurum: ſplendoreſque Solis vili non offenduntur in luto. Vireſcit vulnere Virtus. Cicatrices in pectore viri fortis ſunt argumenta; ac tandem, *In facie næuus forma decoris erat*, decantauit Ouidius. Pugnam itaquè contemplare ò Lector. Dulces ſunt ictus, iucunda vulnera, quæ non mortem, ſed pugnantibus æternam comparant vitam, *Muſa* nanquè *vetat mori*.

INDEX
IN PRIMO LITERARIO DVELLO
Errorum qui impugnantur.

Error 1. Mortuo ægro Roccum de eius morte Apologiam edere in lucem, vt error confutatur. folio 3

2 In morbi aſſignanda cauſa ſibi Roccum contradicere declaratur. ibidem

3 Pulſum non cognouiſſe demoſtratur. ibid.

4 Ab Aduerſariorum calumnijs vt ſe vindicet Roccus, Neapolitanos adulari Medicos legitimam non eſſe viam oſtenditur. 4

5 Pro morbi perſcrutatione quinque capita examinanda proponit, ſed ad nullum propoſitum illorum eſſe examen manifeſtatur. folio 6

6 Pituitam huius morbi fuiſſe cauſam concludit, & in duobus locis ſibimet contradicit. ibidem

7 Flatus in languente à materia cruda fuiſſe colligit eleuatos, ſed malè hoc colligere aſſeritur. 7

8 Flatuum copiam languentis morbum permutaſſe in peius, vt à ratione alienum redarguitur. 8

9 Vitream pituitam & loci anguſtiam languentis dolores habuiſſe pro cauſa Roccus fatetur: ſed huius contrarium ex ſuis dictis concluditur. 9

10 Dolores in languente crudam reddidiſſe vrinam, pulſus debiles, & morbum effeciſſe malignum, vt fictitium reijcitur. ibidem

11 Languentis febrem ex pulſu iniquo ratione prauæ qualitatis continuam eſſe leuiter deridetur. 11

12 In tali febris continuitate nullam ſuſpicari inflammationem friuolis argumentis Roccum probare euidentiſsimè demonſtratur. fol. 12

13 De ſiniſtro Prognoſtico dùm ſe excuſat maiorem ſui ignorantiam Roccus oſtendit. 15

14 Non adipem, vt alij teſtabantur Medici, ſed vitream pituitam excreuiſſe languentem rationes quas Roccus affert, inefficaces eſſe concluditur. 16

15 Repentinæ mortis cauſam aſſignare dùm credit, petit principium. 17

16 Medicamentum languenti tributum ſumma cùm ratione propinatum eſſe dùm aſſerit Roccus, memoria illum carere clariſſimè eluce-

eluceſcit. folio 18
17 *In colico dolore ſcammoneata conuenire medicamenta prorsùs negatur.* 19
18 *Ob derelictam ſanguinis miſſionem ſe non erraſſe dùm conatur oſtendere, intentum non aſſequitur.* 20
19 *A calidis remedijs deforis applicatis aqueam colorari poſſe dùm credit vrinam, ignara credere ſuſtinetur.* ibidem
20 *Vrinam aqueam in hoc languente ſuccos crudos intra venas dominari dùm aſſerit falſa aſſerere manifeſtatur.* 21
21 *De languentis morbo, quæ ſcilicet illius erat idea, quæ cauſa, quæ ſigna, quod Prognoſticum, & quæ curatio debuiſſet inſtitui, propria Auctoris opinio adducitur.* folio 23
22 *Neapolitanorum denique Medicorum pro Rocco dùm iudicarunt, falſum fuiſſe demouſtratur Iudicium.* 29

IN-

INDEX

IN SECVNDO LITERARIO DVELLO Articulorum qui diſputantur.

Art. 1. *AN præter ſanguinem alij humores nutriāt, & corpori quem illi præbeant vſum.* folio 50

Art. 2. *Quo modo Hepar, & Lien morborum ſint Cauſæ, & an à Liene grauiora mala contingant. fol.* 52

Art. 3. *An Lien humoris melancolici ſit receptaculum. fol.* 54

Art. 4. *An ex Chylo ſuperfluitates remanſas in ſanguinem conuertat Lien: & ab Ariſtotelis ſententia an Hippocrates diſcrepet. fol.* 55

Art. 5. *Quo modo generentur omnes affectus. fol.* 60

Art. 6. *De Inflammatione in communi, & eius Cauſis. fol.* 62

Art. 7. *Hepatis quàm breuiſſima explicatur Anathomes. fol.* 64

Art. 8. *De ſignis Hepatis inflammati. fol.* 65

Art. 9. *Hepatis inflammati Prognoſticum. fol.* 68

Art. 10. *De inflammati Hepatis Curatione.* 69

Art. 11. *An ex humorum intrà venas putredine, vel ex inflammatione exortis febribus, Corporiſque alijs affectibus, ſanguinis miſſio in infernis venis conueniat.* 70

Art. 12. *An in Hepatis Inflammationis principio medicamentum conueniat. fol.* 112.

Art. 13. *De Indicationibus quæ parti affectæ medicamenta applicari oſtendunt. fol.* 115

Art. 14. *De Victu in Hepatis phlegmone.* 116

Art. 15. *Medicorum in propoſito caſu demonſtrantur errores.* 118

LITERARIVM DVELLVM INTER SALERNITANOS, ET NEAPOLITANOS MEDICOS.

MONTEM habet Anglia , quem inter Anglos,& Vandalos, Duellorum cùm fuerit locus , Vandeburiam Indigenæ vocant: cuius Campos (antiquitus vt fama vagatur) medio noctis tempore , armatus ſi ingreditur Miles,Ad arma,ad arma clamans,Ad arma, ad arma reſpondentem militem audit: hinc nulla interpoſita mora , paribus armis occurrit Eques,parem conſcendens Equum , & pari electo lumine Lunæ crudelem aggrediuntur pugnam , crudelibus donec lancearum ictibus vulnerati Aſcenſores , vel alter, vel ambo cadant. Non tamen Solis vſque ad ortum tenebrarum Eques , & Equus , humi ſi victi iacent , Victoris remanent in trophæum,ſed ſtatim ac cantarit Gallus, velut è ſomno expergiſcentes,fugitiui volant ad vmbras. Tanti apud Spiritus illos exiſtimatur honor , vt viuentium militum prouocationem ferre non patientes , aëreis reſumptis corporibus , quaſi rabidi Canes ad bellandum ſe offerant;& ad millies mori, millies ſi mori poſſent, promptos ipſos non eſt qui non videat: Armellinorum etenim inſtar,generoſi eorum animi immortales mori malunt,quàm fœdari. Verùm inter Anglos , & Salernitanos antiquum ſi fuit commercium , hinc *Anglorum Regi ſcripſit Schola tota Salerni* , Salernitanis ſi hoc idem in mo-

more ſit poſitum, non ſit nunc qui admiretur, & illorum Lycea literarius cùm ingreditur miles, ad literariam prouocans conſcendendum arenam, literarius illi ex aduerſo, alter ſi contraueniat miles, nulli admirationem parturiat. Hippocraticam Ciuitatem Salernum eſſe, ſi dixit Abbas Ioachinus, en forſan Neapolitanos Salernitanorum controuerſias ſedantes, & contra illorum aliquos iudicium proferentes, Salernitani ferent? Ah, ò tempora, ò mores. Et legent Poſteri, Neapolitanos Medicos, à Salernitanis Medicis leges qui recepere, nunc & Præceptores, & Medicinæ Coriphæos à Salernitanis ipſis fuiſſe appellatos? Ah non. Et à Sebeti Syrenibus licet ego lactatus, Salernitano in Lyceo dùm ego ſum miles, tale opprobrium non patiar, hinc pro Salernitanis capiens arma, ET MALE SALERNITANOS ISTOS CVRASSE, ET FALSO NEAPOLITANOS IVDICASSE ad ſuſtinendum, ex ſpiritibus illis exules qui in hoc Lyceo vagantur, meo fato exul etiam ſpiritus literarium ingredior Campum: Equus eſt Intellectus: lancea eſt Calamus: ictus ſunt argumenta; & Clypeus tandem Hippocratis ſunt, & Galeni doctrinæ. Cum Vandalis ergo bellantibus Anglis ſi ſpectatrix eſt Luna, & Iudex Terra: cum Neapolitanis pariter & Salernitanis iſtis me diſputante, Iudex ſit Veritas, ſpectatrix verò fortuna, diſputantium adhoc vt illa inſpiciens labores, Sapientibus in poſterùm amica deueniat: Sapientium niſi fortè crudele ſit Fatum, quod *plurimus* nempè, ſic dicente Ariſtotele, *vbi eſt intellectus, ibi minima eſt Fortuna, & vbi plurima Fortuna, minimus ibi eſt intellectus.*

A PRINCIPIO itaque, vt pugnam exordiar; pugnantibus, in vanum ne cadant ictus, pugnandi limites ſi præſcribuntur, quos ſtatim ac egreditur miles, victus ſtatim ac declaratur: Et ecce, vana diſceptatio noſtra ne fiat, diſceptationis non alios mihi ego conſtituo limites, quàm quos in ſua Apologia determinat ſibi Roccus, Ægritudinis nempè hiſtoriam, à Doctore Matthæo Galliano, Italica lingua deſcriptam, quæ tamen latino idiomate, paucioribus reſtricta verbis, non aliud, quàm hoc, reſonare videtur.

Paulus Capograſſus ætate conſiſtenti, temperie tum vniuerſali, tum particulari Hepatis calida, duobus circiter menſibus ante morbum, carceribus fuit detentus, qui locus præ captiuorum morientium copia, cùm eſſet infectus, nulli tutum adhibebat commercium: paucis inde diebus, iam redditus ille liber, nimis fætida bilioſa excreuit ac quam maximè ſitiens, multamque frigidam exhauriens aquam, illinc ad 4. circiter dies, in dolores incidit inteſtinales. Triduò mites fuere dolores: quarto die exacerbati ſunt: iniecto enegmate ex decocto Rutæ, Parietariæ, Mercurialis, ſiccarum frondium

Allij olei,& vini coɑi,gelu ſeu vitreæ pituitæ, magnam quantitatem euacuauit;dolor die mitis,noɑe grauis. Similiter die quinto,ſexto, & ſeptimo. Fortiora fuerunt reijterata enemata ex oleo Camomellino, anethino, diacatolicone, diaphinicone, & hyera. Item applicata anodina, & ſacculi ex millio, furfure, & ſale. Pulſus à principio paruus, ſpiſſus, & iniquus. Die oɑauo, hoc bolo fuit purgatus.

℞. diacat. & diaph. ana dram. ij. diapr. lenit. dram. iv. pulueris hyer. dram. j. puluer. aniſor. fenic. & liquir. ana q. ſ. m. à quo, bilis admodùm fœtida, ſimilis illi euacuatæ Paulò poſt è carceribus exitum, euacuata eſt. Die nono, à medicamento virtus magis ſuppreſſa, magna excercendi cupiditas, flatus multi. Die decimo, in iure pulli, mannæ eleɑæ. dram. ij. aſſumpſit; & cùm excrementis vitrea pituita admixta, excreta eſt. Die vndecimo, noɑe dolor grauis, virtus magis remiſſa. Die duodecimo, accedebat dolor, & recedebat: ad cuius acceſſum opprimebatur virtus, ad cuius verò receſsum, eleuabatur quidem, non tamen in magnitudinem, cùm firmæ, tùm eius contraɑio, tùm frequentia remanerent, ſed in mediocritatem. Die decimotertio, manifeſta apparuit acceſſio: in cuius fine, pulſus reſpeɑiuè ad primam oppreſſionem, eleuatus videbatur magis. A flatuum copia Splenis, & Hepatis regiones, in tumorem apparebant elatæ, quibus verò diſcuſſis, diſcutiebatur tumor. Die decimoquarto, nihil adfuit noui. Die decimoquinto rediuit acceſſio, & noɑe per paucas horas grauior dolor. Die decimoſexto, de omnibus melius ſe habuit. Prognoſticum in ſequenti die ad ſalutem. Die decimoſeptimo, noɑe rediuit dolor: manè virtus proſtrata, extremorum refrigeratio, difficultas ſpirandi, ſudor diaphoreticus, per fluxum bilioſum criticauit Natura, Vrinæ à principio crudæ, Criſis fuit ad mortem, defunɑus eſt.

Diſputationis ergo conſtitutis limitibus, inermis accedo ad pugnam, in qua non alijs argumentorum lanceis vtar, quàm ſuiſmet argumentis; quibus lenta manu effraɑis, necnon in ferientem conuerſis, dicet ipſe fortaſse „ *Ehu patior telis, vulnera faɑa meis*.

Hinc quot capita, quot doɑrinas, quot conceptus, pro ſua defenſione proponit, in omnibus (ſit hoc ſua pace, & diſputandi gratia diɑum) in omnibus, inquam, ipſum erraſse ego defendam: ac tandem ad falſum me transferam, hac in re, Neapolitanorum Iudicium.

ERRAT itaque primò, in Titulo, qui Apologia inſcribitur. Medicorum enim errores, ſi contegit Terra, ad quid ergo de mortuis ſcribendo, viuentibus renouare dolorem? Ad quid de illorum mor-

te, Apologiam edere in lucem, ſi Apologia, Defenſio, & Excuſatio ſonat: Excuſatio autem non petita, Accuſatio eſt manifeſta.

ERRAT ſecundò, in morbi propoſitione. Pro eius etenim cauſa, in carceribus Contagium ponit, necnon & ex animi paſſionibus, multam bilis in languente coaceruatam copiam, vt ſemel ex bilioſo, & fœtido innotuit fluxu, hinc & multùm ſitiens æger, multamque frigidam haurire conatus aquam, inteſtinales illi ſuperuenere dolores.

At ſibi ipſi apertiſſimè contradicit. In ſolutione enim primi Capitis, ſeu Puncti, contrarium aſſerit, frigidam videlicet pituitam huius morbi dicens fuiſse cauſam. Quæ contradictio, ex infrà dicendis, ſatis clarè eluceſcet.

ERRAT tertiò in Pulſus cognitione. Ægrotantis namque pulſum, ſe non cognouiſse apertis verbis fatetur. Dubius enim fuit, & ità dubius, vt quatuor modis, in ſui ſcripti prima pagina, & principio ſecundæ, de pulſus cognitione, ſuam mutet ſententiam. Nunc etenim eius paruitatem, & ſpiſſitudinem, ambas illi connaturales eſſe, ab Ægrotante, & à Medico ordinatio, certum ſe fuiſſe factum teſtatur. Nunc contractionis eius, cauſam credit eſſe dolorem, ait namque, *Credidi etiam potuiſſe dolorem vehementiſſimum, talem contractum edere pulſum.* Nunc paruitatem illam, & ſpiſſitudinem ad languentis timiditatem refert, quando à Medico tangebatur: hæc autem ſunt eius verba,,, *Sed neſcio, ſi æger, præ nimia timiditate, qua vexabatur, dum quotieſcumque in tangendo &c.* Nunc mortuo ægro, talis pulſus nullam ex dictis cauſis fuiſſe cauſam aduertit, ſed dubiè loquens, aliam exiſtimare videtur, inquit enim,, *Sed vereor falſam fuiſſe narrationem, exitus acta probauit.*

Ecce ergo, in vna re explicanda, quot linguis loquitur, & quot terminis vtitur: nunc enim ob aliorum dicta, de tali pulſu, certum ſe eſſe oſtendit: nunc credit: nunc neſcit: nunc veretur. Quid ergo eſt mirum, ſi non cognito pulſu, Prognoſticum fuit ridiculum? Pulſus enim facultatis vitalis fortitudinem demonſtrat: & ſumma totius præſagitionis mortis, & vitæ, eſt vitium robur, vt in 2. Progn. com. 6. aduertit Galenus.

ERRAT quartò, nam quærens ab inuidorum, & iniquorum calumnijs ſe vindicare, Neapolitanos adulatur Medicos, ita inquiens,, *idcirco ad Præceptores, dico ad Coriphæos Medicinæ, Neapolitanos, meus (reu erenter tamen) conuertatur diſcurſus.*

Sed quò illum ducit furor? Suæ etenim exiſtimationis oblitus, nec non & ſui gradus: in Almo namque Salernitano Collegio, Collega eſt, & in Salernitano Gymnaſio, Theoricæ Medicinæ profeſſor:

immò & ſuæ Patriæ, Medicinæ Fontis, immemor factus, Neapolitanos amicum, vt ſibi reddant iudicium, Præceptores appellat; dum dignitate ſint pares: hinc Par in Parem ſi non habet Imperium, nec Par in Parem habere poteſt iudicium. Ad quid ergo Præceptores vocare, & vt noſtras dirimant lites, ad illos accurrere? Neapolitanorum eſt quidem ſapientia admiranda, immo ſi Doctores vnquam fui ego admiratus, inter alios Ferrillus, & Santorellus fuere, ſic & omnium aliorum glorias, æterna eſse dignas memoria, ſtultus eſsem, ſi non exiſtimarem.

Quæ vera ſunt, negare non audeo, & vnicuique tribuere, quod ſuum eſt, Iuſtitia eſt. At illos, Salernitanorum Præceptores appellare, Salernitani furentis, furor fuit, & iniuſtitia. Tranquillo etenim animo, cuilibet hæc ſi cadant, quilibet infallibili ſigno, dicendum eſt quòd delirat. Nullos Salernitani Medici Præceptores agnoſcunt, immò Salernitani Scholæ ſententias, Clariſſimi Medici, inter quos eſt Arnaldus de Villanoua, commentati fuere.

Nunquam didicit Salernitana Schola, ſed docuit in toto Orbe terrarum: adeò vt de claris Vrbibus loquens, in 71. Opuſculo de Virtutibus, & Vitijs Angelicus Doctor de Aquino, in hæc aurea proruperit verba „ *Quatuor ſunt Vrbes cæteris præeminentes, ſcilicet Pariſius in ſcientijs, Salernum in Medicinis, Bononia in Legibus, Aurelianis in Actoribus.*

Non ergo Salernitanorum Pręceptores Neapolitani ſe credant: ingrati equidem eſsent: ſunt namque illi, veluti noſtri filij, & noſtrorum laborum partus. A Saluatore enim Calenda, nudius tertius vt ita dicam, primo Neapolitani Collegij Priore, è Salerno à Iouanna ſecunda Neapolim conuocato vnà cum Loyſio Trentacapilli, & Paulino Caput Scrofa, Medicinæ, *de Iure Regni in Priuilegio quod incipit, Iouanna ſecunda, ſub tit. de Officio Magni Cancellarij, ſicut Tappia refert*, Medicinæ, inquam, vt „ *reformarent, crearent, atque melius ordinarent*, Collegium: primas Neapolitani Collegæ habuere inſtructiones: quando tamen Salernitana Schola parentem per ſæcula, & ſæcula quòd non cognouerit, apud Antiquos inueterata fuit memoria. At quem parentem agnoſcere poteſt, ſi eſt Fons Medicinæ? *Salerni Medicinæ Fontem fuiſſe, Fama eſt*, Petrarca dixit, *Sed nihil eſt, quòd Senio non exareſcat*. A Fontibus, & Riui oriuntur, & Flumina, nec Fontes aliunde recipiunt aquas, ſed è proprio ſinu ſcaturientes illæ, veluti ebullire videntur.

Verùm Patres Senes, filij iuuenes ſi deridentur; hinc à primo Patre fuit dictum „ *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi verò ſpreuerunt me,*

me,Salernitanos Neapolitani derideant,& Salernitanorum eſſe Præceptores ſe iactent:talem enim iactantiam futura procul dubio deridebit poſteritas, quotieſcumque leget, quod Neapolitanos Roccus Præceptores appellat,Salernitanos autem, AQVINAS.

ERRAT quintò. Nam quinque examinanda proponit, quæ ferè omnia,non ad rem,& inutilia ſunt: & primò, vndè hæc materia tam gelida orta fuit &c.

At quid Cani,& Balneo commune? Si mors alium eſſe morbum, ab eo quem ipſe credebat,manifeſtauit,ad quid,in re tàm vana,conterere tempus?Sed amicè excurramus hæc Punta: vnde ad ipſum, & ad Neapolitanos,non reuerenter,ſed generosè, mea conuertatur Oratio.

ERRAT ſextò prætereà in primo Punto. Quærens enim de ortu pituitæ vitreæ,hanc tandem illius morbi fuiſſe cauſam concludit: *Frigida enim potatio*, ſic ille inquit, *Et tempus anni concurrunt ad generandum illam pituitam,quam vitream nominamus:hæc quidem in ægro illo per inferiores partes comparuit &c.*

Sed contradicit ſibi in huius Apologiæ principio,& fine. In principio enim dixerat, quòd in carceribus, intra quos languens fuerat detentus,grauis erat infectio;necnon quòd „ *ab animi multis paſſionibus oppreſſus(vt ille dicit)bilis copiam coaduniuit &c.*

Adde,quòd ipſe bilis generationem confirmat, tùm ex languentis calida temperie, tùm ex multa ſiti, de qua poſt libertatem è carceribus conquerebatur æger: ſitis autem vel ex caloris copia eſt, vel ex humoris inopia:hinc humoris in illo,cùm nulla adfuiſſet inopia,à caloris copia ſitim illam proueniſſe,eſt arguendum: caloris autem copia bilioſi humoris eſt ferax.

Adde,quòd bilem huius morbi fuiſſe cauſam, ex eius relatione, ſi contradicere ſibi nolit,nullo modo ipſe poteſt effugere. In principio enim poſt exitum è carceribus, fætidam bilem euacuaſſe refert: deinde à Medicamento,prædictæ bili excreta ſimilis eſt,vt Gallianus in ſua hiſtoria affirmat: ac tandem conſimiliter bilioſus cùm illi in decimoſeptimo die,ſuperueniſſet fluxus,vt ambo concedunt,obdormiuit in Domino.Ad quid ergo,vitream pituitam, huius morbi fuiſſe cauſam,exiſtimare oportet, ſi bilem tantummodò, ſolam cauſam fuiſse,tribus vicibus demonſtrauit Natura?

Dices.Si vitrea pituita. huius morbi non fuit cauſa, cur ergo multoties,vitream pituitam, æger excreuit?

At huic.Quæſito facilis eſt Reſponſio. Dici etenim poteſt, quòd vitrea pituita,non ex quo,ab illa grauabatur Natura, ſed à medicamentis calidis pituitam trahentibus malè applicatis, fuit illa attracta,& euacuata: Medicamentum equidem non quoſcumque indiſcri-

ſcri-

ſcriminatim trahit humores, ſed „ *vbi Pharmacum intrauerit Corpus*, vt in libro de Natura humana Hippocrates dicit, *Primùm quidem ducit id, quod ex omnibus in corpore exiſtentibus, ſibi maximè ſecundùm naturam familiare fuerit, deinde verò etiam alia trahit, ac purgat.* Et poſteà exemplificans ait „ *Quæcumque enim bilem ducunt, primùm meraciſſimam bilem purgant, poſteà verò mixtam. & rurſus pituitæ pharmaca, primùm meraciſſimam pituitam ducunt, poſteà mixtam.*

Quòd autem hoc ſit verum, iam ſatis clarè fuit à Natura monſtratum. Pituitam enim vitream Natura non expulit, niſi Medicamentis illam trahentibus, vt per enemata, bolum, & Mannam innotuit: licet à bolo, tanquam à validiori Medicamento, bilis etiam vel ſecundario fuerit attracta, vel etiam primariò ratione diapruni lenitiui, vel alterius ingredientis. At bilem, nullo Medicamento attrahente, ſed ſponte Natura, in Symptomaticis euacuationibus, ſolam euacuauit, tùm ante morbum, tùm propè mortem, vtpotè quòd à bile ſola grauabatur Natura.

Ratio huius eſt. Nam ſi à pituita fuiſſet pariter grauata Natura, pituitam quoque vna ſimul cum bile admixtam euacuaſset, vt 4. aph. com. 22. his verbis docet Galenus, *Quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur Naturæ ratione, ſed ſunt omnia caſus earum, quæ præter naturam ſunt in corpore diſpoſitionum. Quo enim in tempore à cauſis quidem morbum facientibus Natura grauatur &cet.* Non ergò huius morbi vitrea pituita fuit cauſa, ſed ſolummodo bilis, ex eo quòd, à ſola bile grauatam, in Symptomaticis euacuationibus, ſe demonſtrauit Natura.

Contradicit tandem ſibi in fine: vbi morbum iſtum, malignum fuiſse concludit; ac tres malignitatis enumerat ſpecies: immò & malignæ cauſæ morbificæ, aliam ſuperaddit ipſe malignam cauſam, Contagium nempè in carceribus contractum: & aſſignat de hoc rationem: nam ad Contagium Agentis robur ſi requiritur, diſpoſitio paſſi, & longa mora; cùm omnia igitur hæc tria in languente adfuiſſent, Contagium iure optimo, huius morbi fuiſse cauſam, ponendum eſt: immò ex Fraccaſtorij doctrina, palliuolas ex Contagio fieri febres affirmat, vt in languentis contigit caſu.

Ecce ergo in ſuis dictis, quàm manifeſtæ contradictiones apparent: ante mortem enim, vitream pituitam, eius morbi, fuiſse credidit cauſam, poſt mortem verò malignam bilem: hinc poſt Vindemias Doctor iſte infundibulum emit: mortuo nanque ægro, quo morbo fuerit mortuus, ipſe cognoſcit, quando tunc temporis inutilis eſt, & vana cognitio; nec Famæ ſplendorem, ſed Medicorum multum ruborem, illa potius comparare videtur.

ERRAT Septimò in ſecundo Punto: dum quærit, vnde tanta fla-

tuum copia? Et reſpondet,quod à materia cruda, quæ ad infimi ventris partes,à coitu debilitatas deſcenderat,eleuati flatus illi fuerunt: & Hippocratis in 6. Epid.ſect.3. com.12. de Damagora,& Arceſilao exemplum affert,quorum alteri,cùm venere vteretur,inflabatur venter,& alteri cum ſtrepitu tumebat. Nec non ſuum tandem confirmat intentum ex hoc,quod Venti omnes, ſpirant à Niue, gelu, glacie &c. vt in ſecundo de Diæta docet Hippocrates.

Sed ex cauſa dubia, certum Doctor iſte effectum colligit: an etenim coiuerit patiens,ipſe neſcit,ait nanquè „ *quia dum vxoratus erat, validæ complexionis,& calidæ,tunc ſi forſan(quod non credo) coitui deditus fuiſſet &c.* Ad quid ergo effectum ponere certum, debiles nempe, à coitu redditas, infimas partes,& cauſam dubiam?

Adde,quòd exemplum de Damagora,& Arceſilao non eſt ad propoſitum: nam vt in com.dicit Galenus, hæc accidunt quibuſdam iam inclinante ætate,& affectu melancolico,& flatuoſo vexatis: at languens nequè ſenex, nequè melancolico, & flatuoſo vexabatur affectu.

Adde, quòd Hippocratis auctoritas in ſecundo de Diæta,frigidos languentis fuiſſe flatus non concludit. Tùm quia, vt ibidem Hippocrates aſſerit,calidi, & ſicci dantur etiam venti. Tùm quia flatus ex calida poſſunt quoquè eleuati materia, vt de flatuoſis ſpiritibus, in febre ardente, ex billioſa materia eleuatis, qui aurium ſonitum cauſaut cùm caligine, primo in primum Prorreth. com. 18. teſtatur Galenus.

ERRAT Octauò,in ſecunda parte, ſecundi Puncti. Dubitans enim, an flatuum copia, præfatum morbum permutare valuerit, & Reſpondet affirmatiuè: ſuamque fundat reſponſionem in Hippocratis textu de Veteri Medicina,vbi docuit,quinque poſſe flatus producere,ſtrepitum S.S. ſonum,tranſmutationem, motum, & commotionem:ex quo ſic ipſe concludit „ *Ergo ſi commutare, & traſmutare valent,quorſum non poterint febrem vnius modi in alteram vertere Ideam?*

At Quæro ab hoc Doctore. A qua flatus virtute,vnius febris idea, in aliam conuertitur? Non quidem à ſono, aut ſtrepitu: peccans etenim humor, cùm ſenſu careat, nec ſonum, nec ſtrepitum ſentit: hinc neque maiorem, neque minorem ex his contrahere poteſt corruptionem.

Non à motu. Ad motum nanque ex Ariſtotele per ſe non eſt motus, ſed eſt Vbi?

Adde,quod à flatu,cùm intra venas mouentur humores, vrinæ ex Galeno,citrà aliquam ſubſidentiam turbatæ obſeruantur: at in hoc languente,crudę ſemper,& nunquam turbidę fuerunt illi obſeruatę.

Non tandem ex commutatione, & tranſmutatione, quaſi quòd

flatus

ſlatus de loco ad locum ducens humorem, qui febrem cauſat febris mutet ideam: exemplo forsàn deſumpto à bile, quæ vt in 1. Epid. ſect.2. com.20. Galenus docet, ſi extrà venas putreſcit, tertianam ſimplicem cauſat, ſi intra venas, Ardentem, & ſi ad Cerebrum defertur, vt in com.73. Phrenitidem.

At hæc tranſmutatio fieri non potuit. ex eo quòd flatus in dicto languente, in inteſtinorum erant cauitate incluſi, inteſtinorum non totaliter quidem, ſed vel partialiter cauſantes dolorem: non autèm intra venas erant; etenim ex iam dictis, aliquandò ſaltèm turbidæ fuiſſent vrinæ, non ſemper crudæ.

Adde, quòd flatus geniti in febre, vt 4. de rat. vict. 42. dicit Galenus, turbationem indicant; quique vertiginem, aut capitis pulſum cauſant, ſiue in cerebro generentur, ſiuè ſursùm ab Infernis partibus deferantur, vt fatetur ibidem: quæ duo Symptomata in hoc languente, obſeruata fuiſſe non referuntur.

Hæc eſt prætereà eius Dictum alicuius momenti, quòd nempè flatus illi coaceruati ex temporis auſtrina conſtitutione, prauam contraxerunt qualitatem, quàm humoribus comunicantes febrem contraxere malignam. Hoc enim quamuis gratis fingatur, gratis tamen conceſſo, propoſitum non concludit. Et patet clariſſimè, nàm pulſus ille paruus, & ſpiſſus, puſillam denotans febrem, à principio vſquè ad finem, idem ſemper durauit: quo igitur modo, febris idea eſt tranſmutata?

Ex quo etiam colligere licet, quòd nequè febris Mos, dici poteſt, quòd de benigno in malignum fuerit mutatus, non etenim in principio benigna febris fuit obſeruata, quæ poſteà maligna facta dicatur, ſed ferè ſemper in eodem tenore, à principio, vt ipſi proprio ore fatentur, vſquè ad diem mortis permanſit eadem, paucis ſolummodo, ratione doloris, obſeruatis augmentis, & vno tantùm, vel duobus tertianarijs circuitibus.

ERRAT nono, in prima parte tertij Punti. Quærens enim, vndè tanti dolores? Reſpondet, duplicem doloris cauſam aſſignans, loci nempè anguſtiam, & vitream pituitam craſſam, viſcidam, & lentam.

At huius contrarium ex ſuis Dictis concluditur. In principio enim quinti Punti, in 17. die, bilioſam, fœtidam, & putridam materiam, ægrum eijeciſſe fatetur, deinde ait,, *Cum hoc fluxu ceſſarunt dolores inteſtinorum*. Verùm, remota cauſa, ex Philoſophorum doctrina, ſi remouetur effectus, non vitream pituitam, inteſtinalium dolorum fuiſſe cauſam, Natura docet, & nos credere debemus, ſed fœtidam, & putridam bilem.

ERRAT decimò in ſecunda parte huius Punti. Mouet enim dubium

 bium

bium ,, *an tanti*, inquiens, *dolores, vrinam valeant incrudare, pulſum minorare, & morbum malignare*: & Reſpondet affirmatiuè; ex eo quòd doloribus in hoc languente, noćte inualeſcentibus, pluries deperdebatur ſomnus, quo deperdito, debilis reddebatur ad coćtiones deſtinatus calor: hinc mala chylificatio, & peior ſanguificatio: hinc vrinæ crudæ, & aqueæ, necnon & diminuti pulſus: ac tandem ex cruditatibus genitis, malignum deueniſſe morbum, Galeni aućtoritate affirmat.

Sed miror, Galeni doćtrinas quàm malè applicet iſte Doćtor, nec non morborum, & Symptomatum quàm temerè fingat cauſas. Ad quid enim, dummodò non ſemper, ſed *plurimum noćtium*, vt ipſe inquit, ſomnum deperdidit, crudas ſomniare vrinas, & debiles pulſus?

Adde, quòd vrinæ non fuerunt à principio coćtę, deindè crudæ; ex quod verſimilis poſſet reddi ſua cantilena, de colore videlicet debili reddito, de mala chylificatione, & de peiore ſanguificatione, ſed vrinarum cruditas vnà ſimul cum dolore inuaſit: non ergo à dolore crudas fuiſſe exortas vrinas, ſed altiores, exiſtimandum eſt, illas habuiſſe radices

Adde, quòd fæces, vt in Galliani patet hiſtoria, quotieſcumque vel per enęmata, vel aliter illas euacuauit, coćtæ ſemper, & ligatæ fuerunt: fæces ergo cur ſemper coćtæ, & vrinæ ſemper crudæ? Coćtione enim à debili calore ſi erant malæ, cruda coćtionis cuiuslibet debebant eſſe excrementa.

Adde, quòd vrina cruda, & pulſus paruus, quando ſunt à dolore, tunc ſi dolor per plures dies continuetur grauis, vrina fiet magis & magis cruda; ſic & pulſus minus, & minus fortis: at in eodem tenore cruditatis, & paruitatis, vrina & pulſus à principio vſquè ad vicinā mortem, obſeruati fuere: immò in 16. die communi omnium gaudio, virtus eleuatior erat, ac pulſus ſpiſſitudo defecit. Non ergo à dolore, ſed ab alia cauſa pulſum paruum, & crudam fuiſſe vrinam, eſt arbitrandum.

Adde, quòd non omnes noćtes, per ſingulas horas fuere inſomnes, immò & per aliquos dies fuit æger dolore vacans: Cur ergo ad conſueta munia tunc non rediens Natura, bonas, vel ſaltem coloratas nō excreuit vrinas? Eo modo ac in febribus fieri ſolet, quando Naturæ à cauſa morbifica grauatæ, conceditur reſpirare, Cur pulſus in doloris remiſſione, iniquam vt ipſe dicit, non amittebat contraćtionem? immò vt Galliani terminis vtar, remittente dolore, eleuari eſtò virtus videretur, eleuatio tamen illa in magnitudinem non erat, ſed in mediocritatem, adeò vt paulò plus, poſſet dici eleuata. Non ergo cruditatis vrinæ, & paruitatis pulſus, fuit Cauſa dolor, ſed alia in-

terna

terna cauſa morbifica, quæ reſpirantem non derelinques Naturam, ſed ab illa continuò Natura grauata, ne ad ſolitas operationes rediret, continuò impediebatur.

Aſſerit præterea quòd ſi cruditas ex Galeno in lib. de Cibis boni & mali ſucci cap. 14. morbos non ſolùm gignere poteſt, ſed illos etiã malignos reddere: non ergo eſſe mirum ex hac doctrina concludit, ſi ex ciborum cruditatibus à ſomno deperdito exortis, languentis malignus fuerit redditus morbus.

At Medicorum iuſſu, facillimi tranſitus alimentis ſi æger cibatus erat, nec continuò deperdebatur ſomnus, nec dolor ſemper grauis, ad quid ergo, quæ malignum potuiſſet gignere morbum; tantam fingere cruditatem?

Præterea vbi acidi ructus, ex Gal. 6. aph. com. 1. ex frigiditate, ſeu debili calore fruſtratam coctionem qui inſequuntur?

Adde, quod in cruditatibus deiectiones ſunt liquidæ, vt 4. de rat. vict. com. 4. docet Galenus: nam *coctio*, dicit ibi, *omnia cogit, & incraſſat*: ſed ligatæ, & craſſæ languentis deiectiones fuere: nulla ergo cibalis cruditas erat, vel ſaltem non tanta, malignum, quæ potuiſſet gignere affectum?

ERRAT vndecimò in prima parte quarti Puncti, in qua exagitat, Quæ febris ipſa fuerit? Et reſpondet, fuiſſe continuam, ratione quidèm prauæ qualitatis; & eo magis, quia pulſus verè iniquus, illi coniunctus erat, qui ſub ſpecie connaturalis fingebatur, & ſubdit deindè, *non ratione inflammationis, vt falsò quidam putabant.*

Sed falsò putauit ipſe. Mors enim aliorum veram eſſe manifeſtauit ſententiam, vt iàm ex dicendis patebit.

Adde, ſi pulſus erat verè iniquus, ad quid illum credere naturalem? Nonne naturalium pulſuum differentias omnes, per ætates, ſexus, anni tempora, complexiones, & alia huiuſmodi enumerauit Galenus, & tamèn iniquum pulſum inter naturales non aſcripſit? Ad quid ergo, (ſi Galeni doctrinis, nouas non credit ipſe ſuperaddere doctrinas) naturalem illum pulſum non ſolùm non eſſe, ſed nec eſſe poſſe, pro certo non habere?

Adde, quòd nequè inter pulſus nonnaturales, tali termino, iniqui pulſus, fuit vnquam vſus Galenus. Hinc tali termino caueat vti & ipſe: arma enim hoſtibus tradet: illos nanquè ipſe vocat iniquos: at potiori iure, Res ab Inuentore vt plurimùm nomen habent, à Medico iniquo, dicent illi fortaſsè, pulſum fuiſſe inuentum iniquum cùm tamèn ille bonitatis ſit, & ſimplicitatis exemplar.

Adde præterea, quòd ipſe inquit, *Immò ſi pulſus quantitas, & qualitas mihi fideliter narratæ fuiſſent, præſagium certiori modo, & non ſub nubilo ad malum potuiſſem explorare.*

Sed ſuam, quo termino vtar, neſcio, dicam inaduertentiam, excuſatio hæc non ſaluat. Prudens etenim Medicus, de re, quam ipſum cognoſcere oportet, ab Ægrotante certus fieri, non debet: nec de Prognoſtico, & de curatione dùm agitur, in re tàm graui, in alterius Medici dictis ſuam, aliquis tenetur fundare ſententiam. Manus ſi ipſe non habuiſſet, vtpotè rantum illi condonarem ego errorem: at manus habnit; pulſum tetigit: & ſenſu tactus, quis eſt certior ſenſus?

ERRAT duodecimò, in ſecunda parte huius Puncti, non poſſe videlicet aſſerens, in tali febris continuitate, inflammationem aliquā ſuſpicari, non quidèm externam, vt Meſenterij, Ventriculi, Iecoris, vel ſplenis: nec internam: hæc autèm quæ ſit, ipſe non explicat.

Quæ diſtinctio mihi primò non placet. Meſenterium enim, Ventriculum, Iecur, & ſplenem, inter partes externas connumerari poſſe, ego non video.

Adde, quòd in illo Hippocratis aphoriſmo regiſtrato in 4. aph. 48. *In febribus* S.S. *non intermittentibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & ſitim habeat, letale eſt.* Explicat in com. Galenus, exteriores partes Cutem eſſe, interiores verò illas dici, quæ ſunt in profundiori corporis parte. Quòd autèm huiuſmodi ſint, Ventriculus, Iecur, Splen, & Meſenterium, ex hoc eodem textu colligitur. nam internas partes exuri, externas frigeſcere, in Solis febribus, quæ Cauſones ab incendio nominantnr, pernicioſis, vt dicit Galenus, accidere videntur, vel ſi aliter libeat appellare maligniſſimis, veluti lippirijs: at Cauſus, vt in 3. Epid. ſect. 3. com. 33. idem Galenus docet, fit quandò putreſcit bilis in venis Iecoris, Ventris, & præſertim in eius ore. Falſa ergo eſt diſtinctio illa, & inflammationem internam, tàm quæ eſt in omnibus venis, quàm quæ in quolibet interno viſcere, Eryſipelatis inſtar, vt 4. de rat. vict. com. 1. nos vocare debemus.

Sed gratis illi hæc concedantur. De nominibus enim ſi parùm curat Galenus in 2. de diff. febr. cap. 6. de illis parùm curo, & ego: vnde ad eius rationes examinandas, nunc me transfero.

Inflammationem ergo tam internam quam externam negat ipſe, ex eo quòd vtriuſque inflammationis, non aderant ſigna. Et 1. non erat dolor, non tenſio, non ſitis, non linguæ ariditas, non tinctura, immò lingua humida erat, & ſiti carens, non internum incendium, non partium externarum frigiditas, niſi in vltima die.

At ò quam friuola iſta ſunt argumenta, & ſe hic Doctor ſuis armis ferit. Patientis enim querelæ ad cælos vſque tendebant, ob dolores in inferioribus partibus, & præcipuè in inteſtinis, adeò vt dolores, vocauerint Medici, inteſtinales, & nunc ipſe dolorem negat?

Adde quòd à flatu ſæpè ſæpius tenſionem in illis partibus ipſe cõcedit: ſed à flatu non benè illam exiſtimat, ex eo quod, vt ipſemet

fate-

fatetur, remouebatur illa, non ſolum remoto flatu, ſed etiam aſcellando: non ergo à ſolo flatu illa tenſio erat, ſecundum eius principia concluditur.

Adde quòd dici poteſt tenſionem illam à flatu non eſſe, ſed à flatu potius manifeſtari, ex eo quòd flatus dilatat viſcera, eo pariter modo, quo de renum dolore ſcripſit Hip. in 6. Epid. ſect. 1. t. 6. cum inquit, *In renem dolor grauis cùm cibo impleantur, liberantur verò cum cibis euacuati ſint.*

Adde quòd ſitim & linguam aridam patientem, ipſe habuiſſe negat, & tamen ob linguę ariditatem, vt vulgò ferebatur, vix aliquando loqui poterat, & ſiti adeò exardebat, vt aquam continuò appeteret.

At in Ciuium fide, teſtimonium qui de hoc perhiberent, meam ſi vellem ego fundare ſententiam, vana quidem eſſet oratio: contra me enim, ò quot falſi reperirentur teſtes: ab eius idcircò ſcriptis, quæ negari non poſſunt, vtique non diſcedens, ipſius rationes eneruo.

Conceſſo itaquè gratis quòd æger ſitim non habuit, immò humidam linguam ſitis expertem, vt ipſe dicit, quamuis hoc quàm longè ſit à veritate alienum, Aſſero ego tamen non ſequi ex hoc proptereà, inflammationem non fuiſſe internam: ex eo quòd ſitis non eſt ſignum neceſſario conſequens inflammationem internam, præſertim quandò illa eſt maligna.

Ne tamen vana me loquentem quis putet, Galenum affero in 4. de ratione vict. com. 1. vbi poſtquàm vehementem in corpore caliditatem, & incompeſcibilem ſitim, ardentis febris patognonomica ſigna poſuerit, aſſerit deindè, quòd cùm Cauſus, non vnam eamdemque ſemper habeat generationem, non idcircò Cauſi, eſt ſitis perpetuum & neceſſarium ſignum: at quandò Cauſum ſitis ſequatur, & quando non his verbis explicat Galenus „ *Nempè in vna corporis parte quæuis illa ſit, interdùm Cauſus gignitur, interdùm & toto in corpore. Verùm cùm in toto ſit corpore, ſitim omninò parit; cùm verò in vna parte, non de neceſſitate, niſi pars ipſa ſitim pariat. Omnium autem primùm & maximè id facit os vẽtriculi, deindè ventriculus, atquè ab eo ſtomachus, poſt pulmo, & ſubinde ieiunum inteſtinum.* Quintum ergo locum in pariendo ſitim habet inteſtinum ieiunum: at languentis dolor ſi in inteſtinis erat inferioribus, & propriè craſſis, vt ipſe teſtatur, & Gallianus in principio ſuæ hiſtoriæ enarrat, & vbi eſt dolor, ibi eſt inflammatio; nam continuum inflammatio ſoluit, & ad continui ſolutionem ſequitur dolor, Quid ergo eſt mirum, quòd nullam patiens habuerit ſitim, immò & humidam linguam, ſi inflammatio in partibus erat, non parientibus ſitim.

Adde conſequenter quòd ſi lingua cõmunem habet cum vẽtriculo tunicã ex Gal. 3. progn. 30. hinc & ab eodẽ humore, à quo ventriculus alte-

alteratur, & illa, immò & ob immoderatam ventriculi caliditatem lingua nigreſcit, vt his, quibus cutis ſole vſta ſit, ex 4. de rat.vict.com.4. Non ergo pariter eſt mirandum, ſi patientis lingua, nullam fuerit paſſa tincturam, ex eo quòd inflammatio, vel cauſus, vel Eryſipelas, vt ad mentem Galeni 4. de rat. vict. com.1. ſtrictius loquar, in alia parte, quàm in ventriculo erat, in inferioribus vtpotè inteſtinis.

At Dices, Si interna inflammatio, vel Cauſus, vel Eryſipelas in inferioribus erat inteſtinis, & ſi Cauſi duo ſunt ſigna, vehemens ſ.ſ. caliditas, & incompeſcibilis ſitis, cur exurens ſaltem non adfuit, caliditas, conceſſo, aſſignatas ob rationes, quòd ſitis eſſe non potuit?

Reſpondetur autèm facilè ſi cum Gal.in 4.de rat.vict.varios Cauſi perpendamus modos: docet enim in com. 16. quòd Cauſus duplex eſt, exquiſitus vnus, & ſpurius alter, ac vterque benignus, eſt, vel malignus: in exquiſito itaquè, & ſpurio Cauſo, quandò vterque eſt benignus, ignea & velemens in toto corporè caliditas adeſt: at quandò vterque eſt malignus, non exurens ineſt caliditas, immò refrigerantur extrema, patientis ergo. Patientis ergo in inteſtinis, Cauſus cùm eſſet malignus, exurens non idcircò in corpore, caliditas fuit.

Dices iterum, quòd in Cauſo maligno, Extremorum adeſt refrigeratio: at in languentis propoſito Caſu, illa non niſi in vltima die, fuit obſeruata.

Reſpondetur etiam facilè, notando, quòd extremorum ſumma refrigeratio, non requiritur neceſſariò in omni inflammatione interna, ſed tantùm pernicioſiſſima, de qua Hip. & Gal. in 4.aph.48. ſcripſerunt: immò in 2. progn.com. 4. docet idem Gal. quòd tantò maior eſt interna inflammatio, quantò maior extremorum adeſt refrigeratio: ità vt ex his textibus colligatur clariſſimè quòd in febrium ardentium genere, metrum & menſura caloris quarumlibet ardentium, eſt exurens caliditas exquiſitæ febris ardentis, à qua exurenti caliditate quantò magis febris ardens recedit, tantò magis ad Cauſum malignum ſeu internam inflammationem accedit. Languentis ergo, inteſtinorum Cauſus, ad perniciem tendebat, & idcircò in principio & augmento inflammationis internæ, calor viſus eſt naturalis, vel paulò plus mordax (non aliam enim in eorum ſcriptis tàm Gallianus, quàm Roccus de calore faciunt mentionem) in ſtatu autèm, natiuo extincto calore, atque adeò extremorum facta refrigeratione, mortuus eſt. Extremorum enim ſumma refrigeratio, virtutem denunciat extinctam, quæ in extremis partibus, calorem producere non amplius poteſt.

Adde, quòd ob hanc eandé cauſam, in cauſo maligno, nec ſitis neceſſariò adeſt, vt in ſecunda meæ aſſertionis parte, ego notaui: immò

ſi Galeno

ſi Galeno credamus in 1. Epid.ſect.1. com.29. maximæ malignitatis ſignum eſt,in calida & adurente febre,non ſitire ventriculi enim ſentientem virtutem iam deperditam indicant,& in 3.epid.ſect.1. com. 5. non ſitire in febre ardente, ait, *quòd alterutrum indicat,aut mentem læſam ægri eſſe, aut ventris naturalem facultatem, qua ſubinde cibos appetimus, emori*.

Adde, quòd ſpirandi difficultas,ſi propter aliquam earum partiũ, quæ reſpirationi obſeruiunt, paſſionem, contigit, vt 4. aph.com.50. docet Galenus, non idcircò ad arguendam inflammationem internam, ſpirandi in languente requirebatur difficultas; inflammatio enim in inteſtinis erat, quæ reſpirationi non ſeruiunt: at in vltimo die ſi illa fuit, vt Gallianus dicit, abs re non eſt: ex vaporibus enim putridis ab inteſtinorum Eryſipelate ob natiui caloris extinctionem putrefacto, eleuatis, cor ſuffocabatur, hinc non mirum, reſpirandi ſi fuit auctus vſus, corde iam tendente ad interitum.

Adde vltimò, quòd internum incendium negat, ex cuius abſentia internam inflammationem impugnat; & tamen fateri non erubeſcit, quòd tantum ſentiebat æger ardorem,vt frigidos linteos ventri applicaret,immò & in manuum volis magnam quoquè perſentiebat caliditatem.

Sed quod magis mihi mouet riſum, eſt quòd ab ægro, de tàm furenti incendio, Medicus rationem edicit, ait enim ,, *Totum dicebat velle facere, quia è rebus calidis nimis excalefactus erat, vt etiam ad manuum volas extendebatur præ hepatis excalefactione à calidis applicatis*.

Et præterea ita hallucinatur,vt hanc rationem veram eſſe,Galeni authoritatibus demonſtrare conetur; & non videt quòd à Medicamentis calidis, caliditas illa ſi concedatur inducta, ſequetur error peior priori, quòd nempè inflammationis eius, & mortis,ſola cauſa fuit Medicus, Medicus fuit homicida.

ERRAT xiij. in tertia parte huius puncti,dùm ſe de Prognoſtico excuſat,in 16.die ad ſalutem prolato,quod tamen in 17. contigit ad mortem: promiſerat enim ille, in ſequenti die, conſorti maritum tribuere,at poſtea Telluri communi hominum Matri, donauit filiũ.

Non ergo ſe bene defendit, dùm non errantem ſe aſſerit, ex hoc quòd conditio, ſi, non ponit in eſſe de neceſſario, ſed ſolùm de contingenti:hoc enim tanquàm verum ego quidem concedo. At quæro ab hoc Doctore. Qua in Schola Latinorum ne, Arabum, vel Græcorum,præſagiendi hunc edidicit modum? Nonne futurorum, ex præſentibus præſagia ſumuntur,vt 4. de præſag.ex pulſ. cap.2.docet Galenus? Nonne, vt habetur ibidem, cognitis morbi cauſis, & cognito morbo,non ſolùm mortem,aut ſalutem, prædicere tenetur Medicus, ſed etiam tempus, & modum ſalutis, aut mortis?

Pulſus

Pulſus ſi, adhùc perſeuerabat iniquus,vrinæ magis aquæ, morbus abſquè ratione remiſſus; ex medicamento enim ſi quis remiſſum credat, fallitur, nàm ex illo oppreſſa fuit magis virtus,nec minus graues quàm anteà, vt ipſi dicunt, adfuere dolores,ad quid ergo interitum non timere? Nonne morbi vires, cum Naturæ viribus comparare, in morbi præſagiendo euentu Galenus & Hip.docent, adeò vt abſq. ratione,nec remiſſioni ſit,nec morbi augmento,vnquàm credendum, vt in 2. aph.27.legitur. *His qui non ex ratione leuiùs ſe habent,non oportet fidere,nequè multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia ſtabilia non ſunt, nequè multum durare, aut permanere conſueuerunt.* Ad quid ergo de Chriſibus,de Diebus decretorijs, de Prognoſticis,de Vrinis,& alijs tàm accuratè Galenum, & Hippocratem Scribere, ſi Prognoſtica, non à principio inſpecta morbi idea, more,& motu fieri deberent, ſed de die in diem immo de hora in horam,iuxtà febris, aut Symptomatum augmentum, vel decrementum?Anne Medici,cum Tonſoribus,& fæmellis, leges habent comunes,quæ in Acceſſionis principio, augmento, & ſtatu, pręſagiunt mortem,in declinatione ſalutem? Anne Medicorum Prognoſtica Ægyptiorum ſunt ludi nunc intus Compater eſt, nunc foris?

Sed miror, in talem quo modo inciderit, iſte Doctor,errorem. Poterat enim non illos imitari noſtrates Æſculapios,quibus ſemper prædicentibus ſalutem, abſquè quo ſe diſponant ad mortem, ex hac vita abeunt ægri; ſed alios imitari Apollines, quibus, mortem in omni morbo pręſagientibus,vel ſalus,vel mors, deindè ſequatur,aut præſagiendi, aut curandi, illis ſemper tribuitur gloria: & ſic Artem Arte deludunt.

ERRAT 14. dùm contrà medicos inſurgit, excretionem illam non gelu,aut vitream pituitam, ſed inteſtinorum fuiſſe adipem exiſtimantes, & illos quinque vijs impugnat: ac primò, ex eo quòd excretionis tempore crepitus aderant:2. tormina.3. quia calidis cedebat, emedijs.4.ex hoc quòd dolor, ex eorum exitu reddebatur leuis, maximumque fatebatur æger refrigerium ſentire:& 2. quia abdominis extenuatio non erat.

At de tali controuerſia, ego quidèm non admirari non poſſum: O enim infælicem, dicent,ægrum, quicumq; ſua ſcripta legent,dummodò eius morbus, medicis tradebatur curandus.qui etiam de re, quam proprijs intuebantur oculis,dubij erant.

Sed illorum,quis verum dixerit, ſi à Viſu litis pendet iudicium,iudicare non valeo. Aſſero ego tamen, quòd huiuſmodi rationes non adipem,ſed vitream fuiſſe pituitam probantes, ſunt quidem inefficaces,& nullius momenti.

Et quantùm ad primam rationem, dici poteſt quòd flatus tam

gelu,

gelu, quàm adipem, concomitari poſſunt : duplicem nanquè ex dictis, efficientem cauſam flatus agnoſcunt, debilem ſ.ſ. vel fortem calorem, immò & duplicem materialem cauſam, calidam nempè, & frigidam.

Sic etiam tormina, pituitam in Teneſmo ſequuntur, bilim in Dyſenteria.

Sic dolores, vel à frigida ſint, vel à calida cauſa, ab extrinſec a con calefactione iuuantur, & præſertim ex milijs, & anodinis, vt 2. ad Glauc. cap. 6. docet Galenus.

Sic à flatuum excretione, dolor ſi reddebatur leuis, maximumque ſentiebat refrigerium æger, hoc quidèm à ratione non diſtat, ex eo quòd illis excretis, partes inflammatæ non admodùm tendebantur, quemadmodùm de renum dolore exemplificauimus ſuprà, in quibus excitatur dolor, cum cibis, hoc eſt excrementis ægri impleantur „ *Nempè quòd*, vt in loco allegato ait Galenus, *Multitudine, pondereque excrementorum premantur, onerenturque, ſimulatque iſta deiecta, expulſaque fuerint, remittitur, atque planè finitur.*

Adde, quòd à calidis applicatis, & à flatuum excretione, non cedebat dolor, ſed leuis tantummodò reddebatur, adeò vt refrigerium æger ſentiret : ſignum euidens, doloris cauſam non eſſe flatus, ſed à flatibus ſolummodò grauiorem fieri dolorem.

Sic tandèm, abdominis ſi non aderat extenuatio, (hoc autèm gratis illi concedo, vtpotè quia talem ægrum non obſeruauerim, hinc eius dictis credere, ſim coactus,) non tamèn ſuum concludit ipſe propoſitum : dicere enim poſſum, quòd illa abdominis extenuatio, aderat quidèm, ſed ob inflammationem in illis partibus exiſtentem, manifeſta non erat.

ERRAT 15. in quinto punto dùm quærens „ *Vnde euenerat ille repentinus actus 17. diei ſuæ infirmitatis?* Et reſpondet, *quia tunc aluus largè fluxit putridam bilioſam materiam.*

At hæc reſponſio petit principium, & ſimiliter eſt, ac ſi quærenti, cur Petrus eſt mortuus? Reſponderetur, quia amplius viuere non potuit: idem nanquè eſt quod quærit, & quod reſpondet: quærit enim vndè euenerat ille actus, ſ.ſ. quo aluus largè fluxit bilioſam materiã, cùm qua animam æger extramiſit, non alius etenim actus, præter iſtum, fuit in illa 17. die, & reſpondet, „ *quia tunc aluus largè fluxit putridam bilioſam materiam.*

Adde, cùm hoc fluxu, dicit ipſe, quòd ceſſarunt dolores, & quòd gelu amplius non comparuit : & quærens poſteà, vbi gelu reconditum erat? Reſpondet, *circà partes ſpirituales.*

Sed in obſcura hac ratione manifeſta eſt falſitas. Aſſerit enim primò, quòd in 17, die, comparente bilioſo fluxu, non comparuit

Gelu:& poſteà dicit,quòd gela hoc non comparuit, quia ſe recōdidit circa partes ſpirituales, & deindè ait „ *à cuius vaporibus ad cor elatis virtus reddebatur ſuppreſſa, & ab hac cauſa proueniebat iniquitas pulſus, & non à naturalitate* .Falſa ergo, & contradictoria, loquitur iſte Doctor. Nàm gelu in 17. die ſe abſcondit circà partes ſpirituales; at Pulſus à principio fuit iniquus. Niſi tamèn dicere velit, quòd, effectus præueneri t Cauſam.

Adde,quòd de tali pulſu, & detali febre, fuit ſemper ille dubius, hinc propè morbi finem, tertianarium typum, an ſeruauerit febris, dubitare videtur,adeo vt in quinta die, à tertianæ principio, contigerit illa Criſis ad mortem.

Sed à difficultatibus tantis, ſe tandèm liberans, non aliam in ſuis ſcriptis meliorem, legi reſolutam concluſionem, quàm hanc, his regiſtratam verbis „ *Quomodocumquè fuit, æger cùm illa peſſima excretione, vitam cum morte commutauit*.

Nec prætereà, nouam primo quæſito propè finem huius punti reſponſionem aſſignant,dum criticaſſe dicit Naturam,ex eo quod irritata &c. Hoc enim eſt quod quæritur, Cauſa ſ. ſ. huius irritamenti quæ fuerit?

Dices,quod iſtius irritamenti,malignitatem ponit ipſe fuiſſe Cauſam, ait enim „ *Sed quæ bona Criſis expectari in malignis poteſt?* immo authoritate Galeni in 6. epid.vigori malignitatis tribuit illius morbi remiſſionem in 16.die, & fortiorem inuaſionem in 17. ac tandèm per ſequentes eius doctrinas, malignitatis Cauſam, concludit fuiſſe Contagium.

Sed benedictus ſit Deus. Concedit itaque iſte Doctor febrem illam fuiſſe malignam,& Contagium habuiſſe pro Cauſa notate nunc quæ ſequuntur.

ERRAT 16. dùm languētis morbum, ſe rectè curaſſe defendens, aſſerit:quod ægrum ſumma cum ratione, bolo, ex dia captolicone, diaphinicone, diapruno, & pulueribus hyeræ, confecto, octaua die purgauit: tùm quia inteſtinalis dolor ab Auicenniſtis,furioſi obtinet nomen:tùm quia in hoc caſu, talia exibent medicamenta Claſſici, & Practicantes Doctores.

Sed ecce quod hic Doctor. memoria careat neceſſe eſt. Paulo enim antè,huius morbi, Contagium poſuit fuiſſe malignitatis cauſam,nec non billioſos, &putridos fatetur fluxus, & nunc tenaces, & frigidos reuocans in cauſa humores, iure optimo ſe medicamenta etiam ſcammoneata dediſſe,defendere non erubeſcit.

Adde,quod ſicco,nimis pede, difficultatum pertranſit Oceanum. Hinc aſſero primo, quod malè ægrum tam graui medicamento vnica vice purgare fuit auſus. In omni enim dolore, vnica vice valen-

valentibus vti remedijs, crudelis medici officium eſt, qui vnà ſimul cùm dolore vitam homini aufert, vt 12. Meth.cap.1. affirmat Galenus: quam regulam in cap. 7. eiuſdem libri obſeruauit idem Galenus, vbi quadragenarium colico dolore affectum, purgando per interualla curauit.

Adde, quòd ſi tutò & iucundè curationem moliri Medicus debet, non verò celeriter; feſtinatio enim periculoſa eſt, vt contra Aſclepiadem ſuſtinet Celſus lib.3. cap.3. at non eſt tutus, dolores ſanandi modus, graui medicamento ægrum purgare ex alleg. 12. Meth.cap.1.

Adde, quòd ſi humor vitreus iuxtà eius ſententiam, in inteſtinis erat, quo modo ergo, dicit ipſe, quòd eſt furioſus, ſi furioſitas fixum non importat habere locum?

Adde, conceſſo gratis, quòd in Colico affectu, talia Doctores omnes medicamenta commendent; at nunc non ſumus in caſu. De Colico enim loquuntur illi dolore, cui febris non ſit coniuncta, & præſertim continua, quæ vel non eſt citra prauam qualitatem, vel non citra inflammationem: quo in caſu, vt paſſim ex Galeni ſententia habetur, vrgentiori eſt attendendum, altero non neglecto.

Adde, ſi pulſus erat iniquus, hoc eſt paruus & ſpiſſus, vel debilem vel oppreſſam vitalem arguens facultatem, necnon vrinæ àqueæ humorum intra venas cruditatem ſignificantes: & *Si qui procedunt morbi à coctionis difficultate, & copia crudòrum humorum nullum ab excretionibus conſequuntur emolumentum*, vt 1. Epid. ſect. 2. com. 37. docet Galenus, ad quid ergo tam forti medicamento ægrum purgare? Qualis ex illo fuit ſequuta vtilitas? Quale ex tanta euacuatione iuuamen? Virtus forſan ſuppreſſa magis, grauiores dolores, Criſis ad mortem, & quod tandèm mortuus eſt?

ERRAT 17. dùm in Colico dolore Scammoneata exibet medicamenta. In inteſtinorum enim affectibus damnat illa Galenus in 12. meth.cap.7. vtpotè, quod ex ijs, maxima inteſtinis accidat noxa, vel quia ſ.ſ. in illis, eroſionem Scammoneata pariant, vel quia ex toto corpore, ad illa fluxionem cauſent: & fortè contigit caſus: magna eteni[m] fuit, poſt medicamentum egerendi, vt ipſi referunt, ſortita cupiditas.

Adde, ſi Purgatio fit Natura expellente, & medicamento attrahente, vt 1. aph. 22. docet Galenus, & calor, ſicut ipſe ſupponit, ita debilis erat, vt neque vrinam efficere poſſet coloratam, ad quid ergo, medicamentum tribuere Scammoneatum?

Nec benè ſe defendit ex eo quod poſuit diapruni lenitiui maiorē portionem: hæc enim confectio, Scammoneatæ confectionis operationem non impedit, quippè quæ illius non eſt correctiua, ſicuti eſt malum Cydonium ex eodem Galeno.

C 2 Et

Et tandem, multos Doctores, ſi pro ſe ipſe affert, quos ad legendum nos excitat & impellit, Reſpondeo, quod illos, ſæpe ſæpius legi, & vſque modo non aliud obſeruaui, quàm quod illorum ipſe, male applicat ſententias.

ERRAT 18. dum ſe, ob derelictam ſanguinis miſſionem, non erraſſe conatur oſtendere. Non enim à brachio, aſſerit ipſe, quod ſanguinem mittere potuit, ne forte ſi ſanguinis miſſio à circumferentia trahit ad centrum „ *Magis materia vitalibus internaretur partibus.*

Sed ò quam vanus fuit iſte timor. Materia enim, ſi in eius ſententia vitrea eſt frigida, & grauis, in inteſtinorum tunicis incluſa dolorem cauſans, quo modo ergo, & per quas vias, ad vitales poterat aſcendere partes?

Adde, ſi in ſanguinis miſſione, maior eſſet tractio à circumferentia ad Centrum, quàm à Centro ad circumferentiam, male quidem Galenus ex brachio in internis inflammationibus ſanguinem mitteret.

Adde, quòd in Pleuritide, quæ Pleuræ interna eſt inflammatio, male etiam è directo laborantis lateris, ſecaretur vena, ſi inanitionis vice ab affecta parte, humor magis traheretur ad illam.

Aſſerit prætereà, quòd neque ex pede ſanguinem mittere potuit: & aſſignat rationem dicens „ *Et ſi vrina ita aquea erat, vt à calidis remedijs deforis applicatis vnquam potuit colorari: igitur in his partibus ſumma erat frigiditas, vt quid ergo mittere ſanguinem, an vt cruditatem cruditati adderemus cùm Auicenna?*

Sed duos in hac ratione iſte Doctor committit errores. vndè

ERRAT 19. à calidis remedijs deforis applicatis aqueam dum credit, colorari poſſe vrinam.

At hoc falſum eſſe, in philoſoficis & ſi parùm quis verſatus ſcientijs, clariſſime videt. Non enim à nudis qualitatibus, in mixtis fiunt colores, & patet ex hoc, quod idem color, in mixtis contraria temperie præditis, reperitur, vt albedo in niue, & calce, quamobrem ex mixtione diaphani cum opaco, colores fieri dicendum eſt: hinc ſi in mixto, diaphanum corpus excedit, vt ignis, aut aer, albus erit eius color: Si verò excedit corpus opacum, vt terra, & aqua, eius color erit niger: hac tamen habita differentia, vt quia ignis eſt Corpus magis diaphanum, quam aer, & terra magis corpus opacum quàm aqua, fit idcircò, vt vbi plus ſit de terra, corpus illud ſit magis nigrum, & vbi plus ſit de igne, corpus illud ſit magis album.

Hinc collige, quòd ſi elementis correſpondent humores, igni nempè correſpondet bilis, aeri ſanguis, aquæ pituita, & terræ me-

lancolia, ſequitur idcirco, ex vario vrinarum colore, varios exiſtimandum eſſe excedere humores: vnde ſi flaua erit vrina, ſignum eſt quòd dominatur bilis, ſi rubra, ſanguis: ſi alba, pituita: ſi nigra, melancolia: Non ergo, ex remediorum deforis applicatorum calore, aqueam colorari poſſe vrinam, ex iam dictis, concludere oportet.

Sed ex meis principijs, ſuam forſan colliget iſte Doctor concluſionem. Nàm ſi intra venas, pituitam dominari, vrina alba eſt ſignum, iure ergo non miſit ſanguinem, ne forte, cum pituita ſit humor frigidus, ſanguine idcircò extracto, ac maiori in corporis habitu refrigeratione ſequuta, cruditas cruditati adderetur: At verè colligit male, & eſt ſecundus error in ſua ratione notatus, & ſic

ERRAT 20. Vrinam aqueam in hoc languente ſuccos crudos intra venas dominari, ſignum eſſe exiſtimans.

At falsò hoc credit. cùm non ſolum pituitæ dominium, vrinæ albæ ſit cauſa, ſed etiam alicuius viſceris, interna inflammatio.

Pro huius autem intelligentia, aduertere mihi liceat, quòd vrina cum ſit aqua, vel aquæ naturam referens. idcircò de ſe, vel nullum habet colorem, vel eſt alba: quia tamen ſecundæ coctionis illa eſt excrementum, ne fortè ad vrinam expellendam non irritata Natura, vrinam retineret, bilis propterea, bene ſe habente corpore, poſtquam genita eſt in hepate, tùm fæcibus, tùm vrinæ miſcetur, adhoc nempe, vt ex bilis acredine ad talia expellendum excrementa, illorum expulſioni, qui ſunt deſtinati, titillarentur muſculi: corpus autem cum ægrotat, alij cum vrina admiſcentur humores, & ſic illa eorum, quæ ſunt in venis, eſt certiſſimum ſignum.

Vrinæ ergo albæ, non alia immediata eſt cauſa, quàm quòd bilis, illi non admiſcetur: cur autem hoc fiat, aſſero quòd quatuor fieri poteſt ob cauſas. Vel primo, quia vrina non retinetur eò vſque gignatur bilis, ex gr. cùm multum bibimus, aut cùm potus eſt acer & tenuis, aut cùm virtus retentrix languet. Vel 2. quia bilis non gignitur, eſtò vrina retineatur, & hæc, verum eſt, quod magnam caloris natiui arguit miſeriam, ſummamque cruditatem humorum. Vel 3. cùm bilis eſt adeo craſſa, vt quamuis miſceatur vrinæ, non poteſt tamen illa per anguſtos permanere meatus, & ſic alba remanet vrina, quemadmodum in ijs, qui vel renum, vel veſicæ calculo laborant, obſeruari ſolet. Vel 4. eſt alba vrina, cùm bilis eſto multa generetur alio tamen mittitur: hinc ad inteſtina ſi illa mittatur, vel inflammationem in illis, vel dyſenteriam cauſabit, ſi ad os ventriculi, vomitum; ſi ad cerebrum, phrenitidem &c. quam ob cauſam in 4.

aph.

aph.72.dixit Hipp. „ *Quibus vrinæ albæ, & perſpicuæ malæ, præſertim ſi in phreniticis appareant.*

His ergo notatis, aqueam vrinam in hoc languente non crudos arguere ſuccos colligere licet; ſed in inteſtinis, vt probauimus, ſi inflammatio erat, merito ex hoc, quod tota bilis ad inteſtina accurrebat, aquea remanebat vrina, conſimili modo ac in dyſenteria, & phrenitide. Quod ſi quis clarius deſideret exemplum, in 3.epid.ſect. 2.ægroto 9. Hippocratem legat, vbi in inteſtini Ileos inflammatione, vrinam refert, fuiſſe crudam.

Malè itaque, ſi res ita ſe habet, non miſit ſanguinem iſte Doctor. In hoc etenim caſu, ſanguinis miſſionem non prohibet vrina cruda, vt in phrenitide, & dyſenteria experientia docet; immo & in ipſo Voluulo, inteſtini ſ.ſ. Ileos inflammatione, quamuis vrina eſſet cruda, in iam allegato ægroto, ſanguinem miſiſſe Hippocratem, eſtò eius non meminerit, aduertit in commento Galenus.

Sed concedamus gratis, in inteſtinis inferioribus inflammationem non fuiſſe, nonne tamèn, ratione febris continuæ, immò febris malignæ, ſanguinem mittere ipſe debebat?

Vel conceſſo pariter gratis, febrem non fuiſſe malignam, ſed ſimpliciter Symptomaticam (malignam enim fuiſſe, poſt mortem ſolummodò, ille cognouit) nonne ratione periculi in putridam ſ.ſ. ne fortè illa tranſiret, venam ſecare oportebat?

Vel conceſſo etiam gratis, nullatenus fuiſſe febrem, ſed Colicum tantummodò affectum, nonne ſanguinem mittere, conueniens erat, adhoc ſaltem, vt corpus redderetur auarum, & ad partem dolentem ne ſanguis flueret, hinc in illa, inflammationem cauſaret, cùm dolor tractionis humorum ſit ſufficiens cauſa; & præſertim quia languentis temperies calida erat, & humida, vt ille in quinto punto affirmat, quæ ſanguinis cùm ſit ferax, ad ſanguinis miſſionem, Medicum reddebat audacem,

Nec obſtat 1. quod dolor iſte colicus, à cauſa erat frigida; vndè inflammationem non poterat producere in parte.

Reſpondetur etenim facilè, notando ex Gal.13.Meth.cap.3.quod facultas expultrix, tunc expellendi ſuo fungitur munere, cùm triſte aliquid ſentit: & deinde ait „ *Vnum verò quiddam eſt ex ijs quæ eam contriſtant, ipſa quæ dolorem excitat cauſa, quæcunque ea ſit. Hanc igitur eijcere dum properat, phlegmonem interdum in particula concitat. Cum enim primis ſuis conatibus nihil profecit, vehementiùs aggreſſa quod infeſtat expellere, ſanguinis aliquid, & ſpiritus ex ſuperpoſitis partibus in afflictam ſimul exprimit. Atque hinc fit, quòd ex dolore, particula, pro portione confluentis in eam humoris, in tumorem attollitur.* Ex quibus ergo Galeni verbis, clariſſimè patet, quod doloris quamuis cauſa ſit frigida,

gida,phlegmonem tamen dolor in parte dolente, poteſt cauſare.

Nec obſtat 2. quod humorum cruditas, vt ex vrinis clarum erat, anguinis miſſionem impediebat.

Reſpondetur enim, notando pariter, quod cruditas triplex eſt, cibalis vna, & hæc ſanguinis miſſionem non impedit, ſed retardat, eo vſque ad inteſtina cibi deſcenderint, ſic docente Galeno in 9. meth.cap.5. Alia eſt morbifica, mediante qua morborum principia nos docet Hipp ocrates; & hæc non impedit, nec retardat, ſed miſſionis ſanguinis tempus opportunum oſtendit, vt 2. aph. 29. dixit Hip. „ *In principio morborum ſi quid mouendum tibi videtur moue*. Et alia tandem cruditas dicitur humoralis,quando ſ.ſ.citrà ſanguinem, frigidi & craſſi in corpore abundant humores, & hæc,ſanguinis miſſionem non impedit, ſi mittendi ſanguinis adſint ſcopi; vt in lib. de rat.cur.per ſang. miſſ. cap.13. docet Galenus, quando ait „ *Quibus ambobus ſcopis præſentibus (morbi ſ.ſ. magnitudine, & virium robore) conſtat vt antè diximus, nullam eſſe crudorum humorum tantam, talemque plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium poſſit*.

Ne tamen in Auicennæ incidamus periculum, docet in eodem libro de rat. cur. per ſang. miſſ. cap.12. Gal. in hoc caſu non multum euacuari debere,ſed partiri vices,ſic enim ait „ *Vbi ergo multa euacuatione eſt opus, verum vires ſunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum & me feciſſe vidiſtis, in ijs, quibus crudorum inerat humorum copia*.

Concludit tandem iſte Doctor „ *Sileant ergo* &c. & vere bene concludit: pura enim poſſemus dicere, & ſilemus.

COLLIGE ergo ex dictis nō Colicum dolorem,ex vitrea pituita genitum, patientis fuiſſe affectum, ſed ex contagio, & bilioſo humore,cum craſſorum inflammatione inteſtinorum, palliuolam, & malignam exortam febrem.

Quod autem Contagium, in patiente, ad putreſcendum ſi diſpoſiti fuerint humores,malignæ ſit cauſa febris in 2. de diff.febr.cap.2. ſatis clare dixit Galenus.

Nec obſtat, quod non ſtatim à Contagio, fuerit febris ſequuta, ſed poſt 4.dies, in illam inciderit.

Reſpondetur enim, quod ex Contagio infecti humores, cùm ad morbos producendos, non adhuc tunc temporis ſufficientes eſſent, pedetentim aucti fuere, vſque quo & morbum attulerint, & mortem. Conſimili modo, quo mortis vſu venit à rabidis canibus, vt 3. Epid. ſect. 3. ægroto 4. his verbis docet Galenus „ *Longo enim tempore, Cauſa quę rabiem efficit,augetur, quæ vbi eò tandem peruenerit, mortem affert repentinam*.

Adde,quòd maligna febris,proditoris hominis inſtar, qui aliud in ore,

ore,aliud in Corde tenet,remiſſa quando illa videtur, tunc in decretoria die,crudelior inuadit, vt 3. epid. ſect. 1.com. 8. dicit Galenus, hinc malignam,ex ijs,quæ obſeruata legimus in languente, fuiſſe febrem, ſole clarius quis non videt?

Adde,quòd non niſi malignam febrem, ſigna quæ aderant, oſtendebant, Et 1. Calor naturali calori ſimilis, vel paulò plus naturalem excedens, à me ex ſupra dictis, malignæ febris eſt ſignum. Pulſus itèm paruus, & ſpiſſus, naturalis pulſus ſpeciem referens, vt in 3.de præſag. ex pulſ. cap. 3. docet Galenus, maligne febris eſt argumentum. Sic denique vrinas aqueas, & aliquando cum ſucco crudo, malignas concomitari febres,in 3.epid ſect. 1. tex.26. affirmat Hippocrates.

In inteſtinis prætcrea inflammationem fuiſſe, febris,& dolor, clariſſima fuerunt indicia.

At Dices.Tenſio non fuit,quæ inflammationem conſequitur, ſed illa à flatuum multitudine, aliquando obſeruata.

Quæ difficultas ex ſuperioribus remanet iam ſoluta, & nũc ad Cõfirmationem Cornelij Celſi lib.4. cap. 13. doctrinam affero, vbi docere videtur,quòd aliquando in inteſtinorum inflammatione, nullus tumor apparet, hinc medico vt illum cognoſcat, his verbis regulam tradit,, *Si nihil tumet, duas manus imponere oportet ſuprà ſummum ventrem, paulatimque deducere. Inuenietur enim mali locus, qui neceſſe eſt renitatur.*

Et tandèm ex multa tùm vitreæ pituitæ,tum excrementorum,per enegmata, & medicamenta, euacuatione, & tamen dolorem non quieſcere, cùm quieſcere debuiſſet iuxtà Galeni ſententiam 12. meth.cap.vlt.immò fortiorem poſteà redire, nonne inteſtinorum inflammationis certum erat indicium?

Prognoſticum in hoc caſu, ſanus eſto æger videretur, ſecundum tamen Galeni doctrinas, non poterat non fieri ad mortem. De Hermocrate enim in 3. ep.ſect.1.tex.10. loquẽs Hip.dicit hæc verba, *iterum vigeſimo die eſt iudicatus, & à febre liberatus,non ſudauit.* In quo textu ex duobus, Hermocratem moriturum denunciat Galenus: primo quia vrinæ tenues permanebant, & ex hoc inquit, *Sed quia exitialia Symptomata manebant, vt poſtea dicit, Hermocratem clarum erat obiturum.* Et in tex.9. Medicum aduertit,quod vrina exiſtente cruda, hominem fore incolumen dicere nequeat. Secundo quia,Remiſſio ſine ſignis aduenit,& ex hoc, his verbis nos admonet ,, *Nam quod permanſerint ſymptomata, extingui ægrinaturam, ex his perſpicias.* Et in com.12.idem confirmat,dum ait ,, *Vigeſimo viſus eſt commodius habere,cum re vera non ita haberet, ſed falſa ſpecie illuſo vulgo,quod calor inſitus exſtingueretur,a febre relinquebatur.*

Adde

Adde, quòd in inteſtinorum inflammationibus, vrinæ crúdæ portendunt mortem, vt in 3.epid.ſect.2.com.6. de Voluulo loquens his verbis dicit Galenus „ *Parua igitur ex vrinis, vt ſint bonæ, ſalutis ſic habentium eſt ſpes: ſed non paruum ad exitium momentum, ſi prauæ ſint.*

CVRATIO tandèm contraria illi, quæ à Medicis facta eſt, eſſe debebat, febris enim ſi erat maligna, & interna, in craſſis inteſtinis inflammatio aderat, refrigerare vtique oportebat, non calefacere. A calidis enim medicamentis inflammatio magis augetur, magiſque praui redduntur humores: at, *Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam.*

Victus itaque primò, qui refrigeraret vna ſimul, necnon ad inteſtina transfluentes humores, ad vrinæ vias reuocaret, conueniebat: hanc enim regulam in 4. aph. vltimo Galenus nos docere videtur.

Enegmata vt 12.meth.cap.8.habetur, quæ omni morſu carerent, laudabantur, cuius generis ptiſſanæ cremor eſt, vt ibidem dicitur, & loco iam allegato oleum, & mel ſuperaddit Celſus, & veluti additionem timens, ſubdit deinde „ *Sic vt præter ea, nihil adijciatur.*

Sanguinem præterea euacuare neceſſe erat, tùm ob rationes ſuprà aſſignatas, tùm etiam quia in inteſtinis, ſi inflammatio aderat, „ *Momentum omne curationis* vt 13. meth.cap.9. dicit Galenus, *Laborantis phlegmone partis, in redundantis in ipſa ſanguinis vacuatione conſiſtit.*

Adde Cornelij Celſi in loco ſuprà allegato doctrinam, vbi de inteſtinorum inflammatione loquens, ſanguinis miſſionem his verbis commendat „ *Remedium eſt ſanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admouere, nō vbiq; cute inciſa; id enim duobus aut tribus locis ſatis eſt.*

Non alias tamen, tùm ratione febris malignæ, tùm ratione inflammationis inteſtinorum, niſi inferiores ego ſecaſſem venas.

Quòd autem ratione febris malignæ, ſanguinem mittere in pede, aut alijs infernis venis erat conueniens, patet clariſſimè ex hoc, quod maligna febris, ſi circa partes vitales ſuum habet putredinis focum, reuellit hæc ſanguinis miſſio putridū ſanguinem, vel putridos in ſanguine conſiſtentes humores, à nobilibus partibus, ad ignobiles.

Adde quod ſi in fæculento ſanguine nitroſitatis (quæ vt in Hippocratis ſententia ego fateor, malignitatis eſt cauſa) maior pars reperitur: & ſi in venis infernis fæculentus continetur ſanguis, ab illis idcircò, ſanguinem extrahere opus erat.

Ratione etiam inflammationis inteſtinorum ſanguinem in venis infernis extrahere conſonum erat, ex eo quòd quemadmodum ſuperiores partes in cubito ſecta vena iuuantur, vt in lib. de rat.cur. per ſang.miſſ.c. 18. docet Galenus, ſic & partes inferiores, venarum, quæ per poplites & mallęolos decurrunt, ſectione curantur.

Sanguinis, euacuari quæ poterat, quãtitatē non præſcribo. Euacua-

D tio-

tionis etenim menſura viribus correſpôdere debet ex 9.meth.5.& in hoc,iudicium, vel ignorantia Medici eluceſcit,vt 3.meth.cap.7. dicit Gal.hinc ſi ægrum non obſeruaui, illam idcircò definire non valeo.

Medicamentum denique tùm ratione malignæ febris, tùm ratione inflammationis inteſtinorum, ego non tribuiſſem.

Non primò ratione inflammationis inteſtinorum „ *Quicunque etenim ea,* vt in 1.de Criſ.cap.9. ait Galenus, *quæ inflammantur,ſtatim in principio morborum ſoluere medicamento tentant, ab eo quidem, quod intentum eſt atque inflammatum, nihil adimunt, neque enim cedit cruda adhuc paſſio: quæ verò morbo reſiſtunt, & ſana ſunt colliqueſcere faciunt: ductoque ad imbecillitatem corpore,morbus ſuperior euadit,qui vbi corpus vicerit, remedium non habet.*

Non 2. ratione febris malignæ: in qua vrinis exiſtentibus aqueis, quæ affectum denotant crudum, purgare, vt Hippocratis vtar verbis, hominem occidere eſt. In coctione enim & turgentia, Medicamentum ſolummodò conuenire, in Hippocratis, & Galeni doctrina, ego defendo.

Sed quis in hac ſententia, Medicorum vocibus, non doctrinis,aut argumentis (hæc enim anilia ſunt & vana) reſiſtere poteſt? In principio enim morbi, cruda exiſtente materia, minoratiuum medicamentum conuenire declamant: immò ſi malignus eſt morbus, ac nulla eſt ſpes ſalutis, Vulgo, remedium aliquod, ne videantur illi prætermiſiſſe,ægrum etiam purgant, vt inquiunt, tanquam cadauer.

Sed ò barbaras, & in antiquis ſæculis non auditas doctrinas. malunt enim Medici iſti, non veritati, ſed proprie conſulentes famæ, medicamentis ægros occidere, vel ſaltem mortem illis accellerare, quàm omnia ſecundùm rationem facientes, vulgi applauſum non curare.

Verùm de hac ſententia, quia Vulgus illorum fauet opinioni, triumphum contra me, Salernitani iſti ne canant, abſque tamen victoria: illorum namque argumenta in controuerſijs omnibus, ac in publicis diſceptationibus nullam mihi difficultatem feciſſe, non eſt qui non vidit: at ſcribendo, quia forſan me illi conuincent, mecum quæſo, literarium ſcribendo, conueniant, in duellum: gratiſſimum quidem illorum, mihi erit hoc opus, & ſtatim reſpondentem me audient: adeò vt noſtrum aliquis, æternitatis remaneat in ludibrium: literariæ namquè pugnæ, exitus eſt incertus: in bellis enim dare vulnera, & recipere ſi fortunæ eſt officium, ſic in diſputationibus, de altero alterum triumphare acutioris ingenij labor eſt, & ſudor. At bella non adeat,ne fortè vulneretur qui timet.

Vt autem maiorem illis, quàm de his, quæ ſcripſi,me impugnandi, ego tribuam campum, ecce nunc ex centum-Medicis impreſſis

Con-

Concluſionibus, quas, me aſſiſtente, diſcipulus meus defendit, de Purgatione Concluſiones quaſdam in memoriam reuoco tali diſpoſitas ordine, liberam reijciendi alias, aduerſarijs dereliuques arenã.

86 In principio morbi cruda exiſtente materia purgationem non conuenire, in Hippocratis, & Galeni ſententia acerrimè nos defendimus: ſed cocta, vel cum turgeat materia, in eorumdem doctrinã, non impugnamus.

87 Purgationem ita timent Hippocrates, & Galenus, vt quamuis cocta materia ſit, & quamuis turgeat, adhuc tamen ſanguinis miſſionem tanquam tutius remedium ipſi commendant: commẽdamus & nos cum illis.

88 Hinc Medicos tam libere purgantes, vel Hippocrate, & Galeno doctiores eſſe, credẽdum dicimus, vel quod Hippocratem, & Galenum, non benè legerint, exiſtimamus.

89 Non ſolum eradicantia medicamenta, ſed etiam quæ benedicta, & lenientia vocant, in principio morbi nos cum Galeno reijcimus, ſed tantummodo ſanguinis miſſiones clyſteres, & quæ per vrinas mouent, cum eodem concedimus.

90 Hippocratis & Galeni tempore, benedicta non fuiſſe medicamenta, licet non hæc, quę in noſtris habentur temporibus, ſed his ſimilia, nos deridemus: tunc enim nec ſterilis erat Natura, nec tantorum virorum ſterilia erant ingenia.

91 In morbi augmento, in quo obſcura humorum reperitur coctio, medicamentum pariter confutamus: in ſtatu vero, & declinatione, ſi materiam digeſtam educere Natura non valeat, purgationem cum Galeno admittimus.

92 Putridos humores ſola purgatione vacuari poſſe, non credimus, ſed per ſanguinis miſſionem, illos etiam educi, nos cum Galeno decernimus.

93 Turgentia, reciprocus quidam eſt, & inordinatus humorum hinc inde motus, in qua, non cum illa immineat, ſed cum actu eſt præſens, purgationem conuenire, cum Galeno fatemur.

94 Purgationis præter hos duos ſcopos, materiæ nempe coctionem, vel turgentiã, tres alios ab aliquibus aſſignatos cum Galeno negamus, Materiæ ſ.ſ. multitudinem, aut venenoſitatem, aut vrgentiam, niſi tamen vrgentia ab ἐπείγειν dicatur; vt ſic enim in Hippocratis, & Galeni doctrina, eadem cum turgentia eſt.

95 Hinc medicamento aſſumpto, ſi quis moritur æger, Medicorum ignorantia illum mori, certum eſſe, in Galeni Sententia nos putamus: non enim niſi proſpere purgatio ſuccedere debeat, medicamentum dari poſſe, cum eodem concedimus.

96 Æger, cũ letali, & maligno affliggitur morbo, ſine medicamẽto

vitam illum derelinquere oportere, ſecundum Galeni mentem iudicamus: & ſi medicamentum illi tribuatur, vel eius mortis ſola cauſa erit Medicus, vel ſaltem mortem illi accelerabit.

97 Nec te fallat, quòd non omnes,in cruda materia, ab aſſumpto pharmaco pereant; mortem enim infallibiliter ſequi, nos non dicimus,ſed facta collatione inter morbi,& Naturæ vires,nunc mortem, nunc ſymptomatum exacerbationem, nunc longitudinem,nunc recidiuam, cùm Hippocrate, & Galeno excogitamus.

98 At ſi dato medicamento, conferentia ſequatur ſtatim, & tolerantia, immò & perfecta ſalus, tunc coctam fuiſſe materiam neceſſe eſt, & illud tempus non morbi eſſe principium: in materia enim cruda,& in morbi principio, ex iſtis, alterutrum ſequi, cùm Galeno impoſſibile iudicamus.

99 A Cadauerum turmis exterriti, & à magiſtri mei, tàm de ſanguinis miſſione in pede, quàm de Purgatione opinionibus in Galeni & Hippocratis doctrina firmiter defenſis, ridiculam medendi pandectam,exulem nunc videmus, quòd nempè,poſt duas ſanguinis miſſiones, & quatuor ſyrapia, medicamentum propinabant, deindè hyrudines venis ſedis applicari iubebant, quas ante medicamentum poſſe applicari (ò magnam ignorantiam) negabant.

100 Medendo per tot annos, nullum feciſſe remedium, magiſtrum meum aſſiſtentem, quòd ad Hippocratis & Galeni mentem non fuerit,autumamus: vnde eius medendi modum, ſi qui Medici blaſfemarunt, vel irriſerunt, illos, quicumque ſint, ad illorum dicta ſuſtinendum,literariam conuocamus in arenam: quòd ſi non acceſſerint,vocati, vel non vocati, de calumnijs quas dixerunt, retractati intelligantur,& tanquàm indocti,habentes ſcripta hæc pro regula æterna, ſileant in æternum.

Sed ò vtinam Salernitani,medicam qui facultatem exercent, meã hanc de Purgatione ſententiam, eo modo reciperent, ac illam in putridis febribus de ſanguinis miſſione in pede,receperunt.Coaxabant etenim antea veluti Ranæ, remedium hoc vituperantes? ex eo quòd viros non eſſe fœminas,aſſerebant: attamen temporis lapſu,quos nõ ratio conuincere potuit, non aliorum Doctorum authoritas, aut praxis, longa experientia conuicit, ac in meam, ipſis inuitis, ceciderunt ſententiam: vnde euacuationem iſtam,temerariam ab illis iam publicè declaratam, neſcio nunc quo vultu, in dies adeò pretioſam declarent,vt indiſcriminatim,& inconſideratè iubeant illam. Qua de cauſa in prædictis Concluſionibus, hanc regiſtraui Concluſionem, quæ 77. erat in ordine.

77 Salernitanam in Ciuitatem ſanguinis miſſionem in pede Magiſter meus, in febribus, primus induxit: tunc temporis deriſerunt

illum

illum Medici, viros non eſſe fœminas coaxantes: deridet nunc ipſe & illos, non à ratione ſed ab experientia edoctos, remedium hoc tanquàm pretioſum adminiſtrantes.

FALSVM ergo Neapolitanorum fuiſſe Iudicium, colligat vnuſquiſque; non ſolùm ex hoc, quòd parte non audita, fuit illud prolatum, ſed etiam quia ſecundum allegata, non ſic iudicare debebant. Et ne falſa me loquentem quis credat, eorum percurramus ſententiam, & quàm longè illam videbimus à veritate diſtare.

Aſſerunt itaque primò, quòd reprehendi Medicos eſt antiquiſſimum: hinc in Prognoſi, quòd errauerit Roccus, & à quibuſdam Salernitanis Medicis, quòd fuerit reprehenſus, mirum nō eſſe, affirmāt.

Sed in hoc (illorum pace ſit dictum) illi aberrant. Non enim vulgari reprehenſione, à Salernitanis reprehenditur Roccus, vulgarique infamia, quam ex arte comparat Medicus, incuſatur. Diſpar nanquè eſt ratio. Morbum enim, quia malè curauit, à Vulgo reprehenditur Medicus: Morbum, quia non cognouit, à Salernitanis reprehenditur Roccus. Non eſſet mortuus æger, ſi eius iam cognitus morbus, hoc remedio, & non illo fuiſſet curatus, mortuo ægro à Vulgo increpatur Medicus: nullum remedium ritè adminiſtraſſe, quia morbum non cognouit, à Salernitanis redarguitur Roccus. In Curatione ſi quis errat, ſe defendere poteſt; ob diuerſos enim Authores diuerſus eſt curandi modus: at in morbi cognitione, ſi quis fallit, defenſionem non habet, cùm cuiuslibet morbi eſſentia, apud omnes Doctores ſit vna; febrem enim ex. gr. aliquis non eſt, qui frigidam dicat eſſe intemperiem. „ *Ægros omnes, Medicus vt ſanos faciat, fieri non poteſt: at Medicum vti prouidentia optimum eſt.* Nunquàm moritur æger ſine Medici infamia: *At morituros, euaſuroſque prænoſcens ac prænuncians, culpa vacabit.* Medicum Prognoſtica declarant illuſtrem: errare in præſagiendo illum reddit obſcurum. Sunt verè quidam morbi incurabiles, ſed non ſunt incognoſcibiles. Illos non curare, ſi curari non poſſunt, peccatum non eſt: at non cognoſcere, turpis eſt ignorantia. Ac tandem non in curando morbum; Natura enim morborum eſt medicatrix, ſed in cognoſcendo, & præuidendo, Medici eluceſcit ingenium: immò tantùm in curatione ipſe fallit, quantùm à cognitione aberrat.

Aſſerunt 2. quòd in Prognoſi Roccus non errauit: & rationem his verbis aſſignant „ *Euaſiſſet enim procul dubio æger, ni noua affectio ſuperueniſſet, alui nimirum immodica fluxio.*

Sed tàm celebres Doctores, quod fluxum illum immodicum, qui Symptomaticus erat, affectionem appellent nouam in quo ſe fundent, ſpeculari non poſſum. Naturæ etenim Criſes,

non

non vſquè adeò in Hippocratis, & Galeni doctrina, ſuperuenientes ego inueni appellari affectus. Malignos prætereà morbos, qui per mortales terminãtur Criſes, de ſe non occidere, exiſtimandum eſſet, niſi morbus ſuperueniat nouus.

At quod magis admirationem mihi peperit, illorum fuit exemplum his regiſtratum verbis, *Quam ob rem vt iniuſte quiuis Medicum reprehendet, quòd æger, quem euaſurum à febre prædixerat, perijt, paulò poſt ab hoſte interemptus, haud aliter iniuſte te erraſſe contendunt, quia perijt ob nouum affectum.*

Non enim video vel ſaltem veritatis colorem, quo modo exemplum hoc poſſit habere. Quæro namque ab his Doctoribus. Nouus iſte morbus, quem ſuperueniſſe dicunt, vel ſuperuenit, priori adhuc remanente morbo: vel in illum nouum morbum, prior morbus fuit tranſmutatus? Non alias enim in morbis mutationes præter has duas in 7.aph.11. docet Galenus, Superuenientiam ſ.ſ. vt quando ex gr. morbo laterali, Pulmonis inflammatio ſuperuenit: vel tranſmutationem, vt quando furor, in 7.aph. com.5. ſicut exemplificat Galenus, in inteſtinorum tranſmutatur difficultatem, & ipſe ſoluitur.

Non ergo poteſt dici ſecundum, quòd nempe languentis prior morbus ceſſauerit, & in alui fluxum ſit tranſmutatus. Nam febris vſquè ad finem permanſit. Et ſi dolor ceſſare fuit viſus, non aliam ceſſauit ille ob cauſam; niſi quia in parte inflammata, iam extinctus aderat calor.

Si dicatur primum, quòd ſ.ſ. languentis priori adhùc remanente morbo, nouus morbus, immodicus nempè fluxus, ſuperuenit, & tunc in Prognoſtico dicendum eſt quod Roccus errauit. Ratio eſt, quia prior morbus ſine ratione erat remiſſus: aqueæ enim perdurabant etiam vrinæ: hinc ſi morbi mutatio, vt 3.epid.ſect.1.com.8.in hiſtoria Hermocratis dicit Galenus, in dies incidit decretorios, tunc recidiuam vel mortem in diebus decretorijs oportebat arguere, de Hermocrate enim ſic in textu ſcripſit Hippocrates „ *Quartodecimo die à febre erat liber, non ſudauit, dormiuit, omnino mente conſtabat, vrinæ eædem.* Dicit in Commento Galenus „ *Sub diem vndecimum omnia illi viſa ſunt, eſſe remiſſa: qui cùm dicere potuiſſet ſimpliciter, Omnia ſunt remiſſa, adiecit, viſa ſunt, quo illorum admoneret, quæ alibi ſcripſit: Iis, quæ non ſecundum rationem releuant, non eſt habenda fides. Ita etiam hic non dubitauit cumulum addere, non ſudauit: vt ob oculos proponeret, quàm ſit infida remiſſio morbi. Nàm ſi quæ poſtulabat res, quartodecimo die euenisſent conſeruarant hominem. Itaque quia non apparuerunt, hinc malignitatem nobis morbi ſubiecit. Quos quidem affectus ignorat vulgus Medicorum, & gaudet ſi qua videatur alleuatio, tamen ſi hæc ex exitioſis ſignis & ſymptomatibus prioribus proficiſcatur.*

Adde

Adde quod Hermocrates alui fluxu etiam perijt, & tamen illum non eſſe nouum affectum dicit Galenus, in commento enim 12. Sic ille habet „ *Ita vigeſimoquarto cùm febricitare ex reſiduorum humorum cæpiſſet putredine, & aluo indè deieciſſet multa tenuia, & virulenta, vigeſimoſeptimo perijt*.

Adde, quòd alui fluxus immodicus maligno morbo ſuperuenien s, cauſa mortis non eſt, immò neque ſi decretoria die ſupprimatur, „ *Vt probabile eſt deiectionibus ſuppreſsis vigeſimaſeptima Hermocratem mortuum*, in text. 13. ſcribit Hippocrates, ſed mortis cauſa eſt prior malignus morbus, vt in commento his verbis docet Galenus „ *Nam Hermocratem quidem neque per aſtrictam contigit aluum, neque per ſolutam perire. Verum hæc ſymptomata ipſi affectui ſuperapparuere*. Et deinde ſubdit „ *At perijſſe potiſſimum hic, Iecinoris videtur vitio &c.* Non ergo collige ex his, ob nouum affectum perijt æger, nec illorum exemplum ad propoſitum cadit.

Aſſerunt 3. quòd in Prognoſi non commiſit Roccus errorem, ex eo quòd conditionate fuit loquutus, hypotetica autem propoſitio nihil ponit in eſſe.

At hæc Aſſertio ex dictis impugnata iam patet. Ac præterea præſagiendi modum iſtum in Hippocratis vſquè adhuc, & Galeni doctrina cùm non repererim, vel falſum me illum credere oportet, vel nouum.

Adde, quòd Medicus Gubernatori Nauis, à Gal. in 1. progn. 3. aſſimilatur: at ridicula illius Nautæ ſapientia eſt, qui de ſtatu Maris præſagiens, in ſequenti die ſi Cœlum erit ſerenum, aquarum tranquillitatem denunciat, ſi turbatum, tempeſtatem.

Aſſerunt 4. quòd dato in morbi præuidendo euentu, Roccum fuiſſe allucinatum, ac turpiter deceptum, non propterea tanquam malus Medicus eſt ille damnandus.

Sed hac Aſſertione, meum concedunt Doctores iſti propoſitum. Non aliud enim intendo, quàm quòd Roccus in hoc caſu errauit: de reliquo bonus Medicus quòd ille ſit, immò optimus, ego non nego: benè etenim ſtare poſſunt, Optimus Medicus, & aliquando errare: ex eo, quòd „ *nunquam hallucinari* vt 1. progn. 41. dixit Gal. *ſupra captum hominis eſt.* Nec meis ſcriptis illius pateſeciſſem errores, ſi contradicentes errare, ille non promulgaſſet, ac in eius cadere ſententiam, doctos Medicos non vidiſſem.

Aſſerunt quinto, quod non ex hoc, quia morbi euentum non præuiderit Roccus, mortis idcirco, fuit ille author: & rationem aſſignant, quia nec remedia omiſit, nec curando errorem commiſit.

Sed non benè, hoc quidem aſſerunt. Nam ſi morbi euentus præcognitio, à morbi cognitione dependet, Conſequentia valebit, Mor-

bum

bum non pręcognouit: ergo morbum non cognouit. Et ſi morbum non cognouit, infero ego, ergo morbum, non rite curauit, & conſequenter fuit mortis author: quæ Illatio patet paſſim ex Galeno docente, quod incogniti morbi nulla eſt curatio.

Rationibus præterea, propoſitam concluſionem defendunt. Et primo quod remedia non omiſit, ex eo quod venam non ſecauit, cum nulla inflammationis internæ ſuſpicio eſſet: hanc enim magna febris, ſitis, linguæ ariditas, & nigredo, concomitari ſolent.

Sed quæ ſupra dixi, in memoriam Doctores iſti ſi reuocent, nullius eſſe momenti rationem hanc, ipſimet fatebuntur.

Dicunt pariter, quod erratum in Scammoneata medicamenta exibēdo, leui flatu reijcitur, nam „ *Si venenum* (inquiunt ipſi) *in exigua doſi aſſumptum non offendit, vel ſcammoneum in exigua doſi datum leue euadet pharmacum, non eradicans.*

At hic flatus neque frondem mouet. Ardentem namque ignem, ſi quis extinguere vellet, anne paucum ſulphuris, in illum immittere, bonum eſſet remedium? Argentum viuum ſi quis aſſumpſerit ex argento viuo in pauca doſi tributo, anne iuuamen ſperare quis poſſet?

Adde, quod Galenus in affectibus inteſtinorum, ſcammoneum non damnat, ex hoc quia forte medicamentum eſt, ſed quoniam à propria facultate inteſtina offendit. Nullo itaque modo iuuare potuit, ac detrimentum nonniſi attuliſſe, procul dubio eſt affirmandum.

Aſſerunt vltimo, quod Salernitani Roccum non feriunt, ſed furiunt. At ad mentis hallucinationem, què vera non diſcernat, nec falſa, ſi furor ſequitur, ex nobis, in huius morbi cognitione, quis fuerit hallucinatus, quis feriat, quis furiat, non alij, quam ipſimet, Iudices adſint.

Sed hoc in Iudicio, quia forſan cōtradicentes Salernitanos illi non cognouerūt, modeſtia idcirco ego vtens, Neapolitanos furentes non dicam, immo potius Rocco indulgentes, humanius credens alias, illos fore nobiſcum alloquturos, humaniora, & grata magis, à Salernitanis, illi ſi velint audire reſponſa.

Neque Roccum ſi impugnaui, furentem me illum credere, ſit qui credat, immo celebrem, & eximium eſſe Doctorem colligat vnuſquiſque. Indocti enim non impugnantur, ſed deridentur: Platonem Ariſtoteles impugnauit, Ariſtotelem Ieleſius, ſanctum Thomam Scotus, Scotum vniuerſæ Scholæ.

Nec tandem ex Medicorum Controuerſijs, timeant Salernitani, proprijs ſe concredere Medicis. Ad ſanitatem enim recuperandam, quamuis bonus Medicus conferat, vt duorum exemplo, à Cane rabido, qui morſi cum eſſent fuit alter Medici diligentia ſanitati reſtitutus, & alter Medici ignorantia mortuus, vt libro de Sectis ad

eos

eos qui introducuntur, teſtatur Galenus: attamen Galeni doctrina; quæ Angelica quidem eſt, ſi GALENVS, puro anagrammate ſonat ANGELVS, Diuini tamen Hippocratis Diuinæ Sapientiæ vt cedat, neceſſe eſt, qui in 1. progn. 4. Medicum admonet, vt ſi quid in morbis diuinum habetur, conſideret; quaſi quod diuina lege mortalibus accidant morbi, & conſequenter Diuina lege ſalutes & mortes. Hinc erret Medicus, quantum velit, detrimentum non afferet, viuendi limites à prima cauſa ſi ſunt conſtituti, qui præteriti non poterunt: ac in Tragedia Ædipi, vt Seneca.

Fatis agimur, cedite fatis.
Non ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati Stamina fuſi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto.
Omnia certo tramite vadunt,
Primuſque dies dedit extremum.

Et Auſonius, memorabilem refert, hoc Epigrammate, Caſum.

Toxica Zelotipo dedit Vxor Mæcha Marito:
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti letalia pondera viui:
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum:
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Quàm pia cura Deum: prodeſt crudelior vxor,
Et quum fata volunt, bina venena iuuant.

Relatione del caſo dell'infermità, e morte di Paulo Capograſſo Patritio di Salerno vna con l'Apologia fatta dal Dottore Michele Rocca di d. Città aduerſo l'oppoſitioni.

IL quond. Sig. Paolo Capograſſo di età conſiſtente di temperamento vniuerſale, è particolare di fegato caldo, quattro meſi prima incirca, per la gran ſete, che ſentiua per le occupationi continue del gouerno della Città, diſordinò al bere freddo, e molto più mentre circa due meſi prima della ſua infermità, ſtando carcerato nella Regia Audienza, dopò la libertà, continuò all'iſteſſo bere ſpeſſo, e freddo, li vennero alcuni dolori inteſtinali nella parte inferiore, e proprio nelli

inteſtini craſſi, e perche detti dolori erano ſopportabili, e non continui, fù il venerdì 5. del preſente meſe,l'andò ſopportando per ſpatio di tre giorni, al quarto ſi poſe al letto forzatamente, e quell'iſteſſa matina ſi fè fare vn criſtiero caſalino con decottione di ruta, parietaria,hiette d'agli,mercolella,malua, oglio, e vino cotto,giudicando eſſer grandiſſima freddezza, già che dall'approſſimatione di panni caldi ſentiua gran giouamento, & hauendo fatto vna gran eſcretione di gelo, ſi ſentì meglio aſſai, & per quella matina non li fù ordinato,ſe non vn poco di ſciroppo di ſcorza di cedro,& la regola del vitto, e per quella giornata lo dolore non lo moleſtò, ſe non poco, ò niente; La notte ſeguente l'aggrauò il dolore molto più, e perche haueua ſentito giouamento aſſai del primo ſeruitiale, ſe ne fè fare più in quella notte, & con herbe calde à modo di ſacchetto; La matina del quinto trauagliato dalla notte predeceſſa ſi ſentì meglio del dolore,mà non libero, e con vna bocca limoſa,e di mal ſapere,al che per non trauagliarlo più con ſeruitiale, ſe l'ordinò vn poco di ſciroppo di ſcorza, & di agro di cedro, vntioni d'oglio d'amendole dolce, butiro alla parte offeſa, & li fù corroborato il ſtomaco con naſcenzo,e menta,e fù cibato con brodi conci,e pullo; Si paſsò quella giornata mediocremente; La notte ſeguente aggrauò il dolore magiormente, e non obſtante ſi fuſſero fatti ſeruitiali, vntioni, ſacchetti,e panni caldi,pure perſeueraua; E fù di neceſſario la mattina ſequente farſi vn ſeruitiale medicinale con oglio d'amendole dolci, camomellino anetino, con poca quantità di diacattolicon,e diafenicon,e hiera,e la decottione ordinaria,quale non lo potè retinere,e per euacuarſi ſubbito, poco,ò nullo giouamẽto fè,ſi reiterò à farſi cõ poca quantità di robba,anzi con vn creſtiero di figlioli,lo ritenne, & oprò eſcrementi ligati pochi, & vna grandiſſima quantità di gelo à modo proprio di gelatina, per lo che fù alleuiato ſenſibilmente dal dolore, preſe vn poco di giulebbe d'anaſi, ſciroppo di ſcorza di cedro, & vn poco di ſementella, corroborato il ſtomacho, & fattoſi l'vntioni, con aggiongerci vn poco di oglio di camomilla, fù cibato, riposò, e paſsò meglio aſſai: l'vrine furno ſempre oſſeruate crude, & alle volte con ſuceo crudo; La notte ſeguente del ſeſto aggrauò il dolore, e con approſſimarſeli le mataſſe di filato, e ponerſi li ſacchetti di miglio,brenna, e ſale,e li quattro anodini, rimetteua il dolore,e cacciaua gran ventoſità, le quale quando vſceuano libere alleuiaua, quando ritrouauano impedimento di gelo non vſceuano, ſe prima non ſi faceuano il criſtiero, il quale cacciando il gelo, cacciaua ancora il ſlato, e l'infermo paſſaua meglio, & alcune volte non allegeriua, ſe non con le mataſſe;Fù di neceſſario farle vn giorno dopo due hore dal cibo,e coſi alleuiò dal dolore: e perche detto male non

cedeua

cedeua in tutto, anzi ſe li oſſeruò vn poco di ſpiſſezza di pulzo, ſi fù di parere darſi vn boccone coſtante di diacatol.& diaphen.an. ℥y ÷ & di diapr. lenit.altre ℥ I I I I. poluere di hiera ℥ j. con poluere d'anaſi finocchi, & di liquir. per li gran flati, che ſi ſentirno, qual preſo tardò l'operatione, ma poi fù mediocre, ma d'humor puzzolentiſſimo colerico,ſi ben ancho con flegma aſſai,dell'iſteſſo modo,che euacuò nel eſſer vſcito dalle carcere: Si paſsò queſta ottaua giornata mediocremente trauagliata, anzi la notte ſequente benche ritornaſſe il dolore per interuallo, approſſimandoſile mataſſe bollite nel predetto oglio con l'anodini, ſubito cedeua il dolore: la ſpiſſezza del polzo non ſeguitò all'altra terza giornata, conforme ſi dubitaua haueſſe voluto corriſpondere, ma ſe li oſſeruò la virtù più ſoppreſſa, & vna volontà grande d'andare del corpo à modo de premiti, con vn ruggito di ventre, qualche volta riſoluendoſi in ventoſità, che ſi ſentiuano anco fuor di camera, & non obſtante ſi foſſero fatti ſeruitiali, non n'hauea quella ſodisfattione, che deſideraua; per il che alla decima giornata, due hore prima di cibarſi, ſe li diede due oncie di manna in brodo di pullo bollito prima cō prune damaſcene, e poche ſemente d'anaſi, e finocchi; dal che il giorno,& la ſera ſteſſa ſi hebbe giouamento aſſai, per eſſerſi euacuato vn humore veramente pituitoſo vitreo, & in quantità con eſcrementi ligati, & miſti, & non con quel puzzore de prima, con meglioramento dell'ammalato dal dolore, che non lo ſentiua,ſe non per paſſaggio, e poco,che diceua non darli faſtidio; La matina del vndecimo ſi hebbe mira al ſoſpitione di malignità,e perciò ſe li diedero antitodi per reſiſtere alla praua qualità di che per cauſa di detto polzo ſi ſteua in qualche dubio, e poi fù cibato con cibi di giuſta quantità, e meglior qualità,e ſi ſtiede all'oſſeruanza, e mentre anco ſi dubitaua della notturna acceſſione, che già ſi oſſeruò, e con l'oſſeruanza ſi vidde anco in detta notte aggrauamento di dolore, onde la virtù ſi opprimeua più, ma poi con applicarnoſi li rimedij eſterni, tra quali vi fù anco approſſimato l'acchippo di caſtrato ſcalfato con l'acqua d'anodini, ſi ſolleuaua per quello la virtù,ma in tempo però quando cacciaua il gelo, ò il flato; La mattina ſoſſequente fù ſimilmente con antitodi ſoccorſo,& il dolore da quando in quando aggrauando, faceua come di ſopra l'oppreſſione della virtù, & ſimilmente fù oſſeruato non ſolo dalli Medici, ma dall'aſtanti,che quando rimetteua il dolore, ſi ſentiua auanzo anco nel polzo, ancorche non perdeſſe la ſua ſolita contrattione,ſi che l'auanzamento di quello non era in magnitudinem, ſed in mediocritatem; la onde poſſeua chiamarſi la virtù ſolamente poco più ſolleuata, e con minor frequenza; Venendo la ſera del decimoterzo che fù il mercordi, ſe li oſſeruò mutatione al polzo, e fù giudicata

 acceſ-

acceſſione, la quale non portò ſeco ſintome alcuno in ordine alla bile, che cauſaua la terzana, poiche non vi fù dolor di teſta, nè di reni, nè rigore d'acceſſione, ne ſete, nè bocca amara, nè meno colore più mordace, nè meno difficoltà di reſpirare, ò agitatione di corpo, ò cardilagia, mà ſolamente vn colore poco più del ordinario, e l'inequalità al polzo, il moto del corpo, però non era, ſe non quando ſentiua dolori, ò rugiti nel ventre: durò quella inequalità di polzo per ſpacio hi hore ſette, e poi ritornò al ſtato ordinario, anzi come ſi vidde, fù vn poco più ſolleuato di virtù reſpectiuè di prima; non laſciādo di dire, che tanti erano li ſlati trattenuti, & aduniti, che li pareua farno vna inflattione nella regione della milza, ò alfegato, e ſi diffundeua inſino alli reni, ma poi mancaua, che non ſi ſentiua altro in detti lochi, quando cacciaua fuori le ventoſità: fù in quella ſera cibato ſolo d'vn brodo cōſumato, elettuarij, e qualche poco di milappio ſciruppato con quattro oncie d'acqua cotta; La mattina del decimoquarto, che fù il giouedì, cliſterizato con ſeruitiale domeſtico, & oglio d'amendole dolce fù cibato, e non s'oſſeruò altro di nuouo; Si paſsò con antidoti la mattina ſeguente del decimoquinto, fù cibato anticipatamēte, & la ſera s'oſſeruò vn'altro poco d'acceſſione, come di ſopra, & l'iſteſſa ſera li aggrauò il dolore ma per poche hore, & ſe li fè vn'altro ſeruitiale domeſtico, il quale lo ritenne, e preſo il conſumato pigliò ſonno, e poi alle 12. hore del ſabbato cacciò vna gran copia di fecce ſenza puzzore, meze ligate, naturali, e con vna grandiſſima quantitàchiaramente dipituita vitrea, perloche la virtù ſi ſolleuò più, la ſpiſſezza mancò, il dolore non ſi ſentì più, ſi cibò con guſto, dormì quietiſſimamente, e fù quaſi à fatto ſano, mentre lui medeſimo ſi ſentiua il meglioramento con vniuerſale allegrezza, ma la notte ſeguente la paſsò di nuouo con dolore, non hauendo preſo per cibo altro, che il conſumato, con pochi elettuarij, e circa quattr'oncie d'acqua cotta; La mattina ſeguente del decimoſettimo giorno li ſopragionſe vn fluſſo d'humor bilioſo crudo, e puzzolentisſimo con deliquo d'animo, virtù proſtrata à terra; e ſincome andaua à poco, à poco euacuando humore, così la virtù andaua mancando, pigliati antidoti, fù cibato pargamente, e riposò circa mezz'hora; Circa le venti hore fù oſſeruato ſenza polzo, ſopragionſe la difficoltà di reſpirare, e poi apparſe il ſudor diaforetico, & la notte ſeguēte del decimoſettimo paſsò à meglior vita. Queſto è il Progreſſo puro dell'infermità di detto Signore, il quale all'oblatione ſempre ſi è portato bene, del reſto come di ſopra.

Queſta Relatione è ſtata confirmata dalli SS. della Caſa della bona Memoria del Signor Paulo Capograſſo.

Matteo Galiano Medico Ordinario di caſa del predetto Patritio.

Apolo-

Apologia Michaelis Rocci Medici Salernitani ſuper caſum factum in ægritudine cuiuſdam Patritij Salernitani aduerſus oppoſitores.

*SAlernitanus Patritius noſter in caſu prenarrato non
minus dignitate ſui Natalis, quam morum elucebat
præſtantia, cum prę occupatione publici Regiminis,
dum Ciuitatem ſuam (quo ad ſuas vires) reddere in-
tendebat immunē (ſic fama fuit) factum eſt tunc tem-
poris, vt deſtineretur in carceribus Regiæ Audientiæ
Prouinciæ noſtræ Principatus Citrà, & vt ſors per-
miſit tempore, quo locus ille quaſi infectus erat Endemicę, & Pandemicæ,
ſimul prę captiuorum ægrotantium copia, & mortuorum non minus, ita
grauis fuit infectio, vt non ſolum illis, ſed etiam ibi practicantibus ę com-
munis fuit; ideoque Medico, Parrocho, Confeſſoribus, Carcerum ianitoribus
communicabatur, de quibus, alij in longam ægritudinem, alij in mortem
inciderunt; & tandem alij breuem, & non ſine periculo contraxerunt fe-
brē. Nobili illi præſcripto nil tunc euenit mali, ſed ab animi multis paſſioni-
bus oppreſſus, bilis copiā coaduniuit, & iam patuit ad ſenſum; nam dum do-
mum poſteà libere pergeret quidam alui fluxus ſemel accidit illi bilioſus, &
nimis fætidus; & quamuis bene ſe haberet circa cuncta. De ſiti multa tamen
præter conſuetudinem conquerebatur, ideoquè ſæpiſſimè ad bibendum prō-
ptus erat, & frigido potum maximè oblectabatur. Poſt dies 40. in circa cru-
ciatus fuit doloribus illis, vt ex relatione retroſcripta innotuit, ad cuius vi-
ſitationem quinta die vocatus, & accerſitus fidelem inueni de omnibus nar-
rationem, vnum tamen ſignum infidele fuit, pulſus nempè, namque dum
præteritus ab illius obſeruantia fuiſſem inueni illum paruum, quaſi contra-
ctum, & ſatis ſpiſſum, certioratus fui à languente de paruitate, & à Doctore
Medico Ordinatorio de tali ſpiſſitudine ambas illi connaturales fuiſſe, cre-
didi etiam potuiſſe dolorem vehementiſſimum talem contractum edere pul-
ſum, vt obſeruantiā fecerat* Franc. Valleſius ſuper Epidemia Hip. in 2.
epid. ſect. 2. *à quo Doctore, ſpecifice habui talem pulſus contractionem ſed
neſcio ſi eger præ nimia timiditate, qua vexabatur, dum quotieſcumque in
tangendo talem pulsū, admirans cogitabundus erā ſtatim intuebatur in me
timidè quærens, quid cogitarem? ipſique reſpondens dicebā circa pulſus qua-
litatē, at ipſe ne timeas dicebat; quę propter à multis alijs monitus, nè illum
terrore afficerē, ſemper tamen à domeſticis interrogatus, quid de ægrotante
ſetirē, reſpondi,* vt ipſi fateri poſſunt, *febris continua eſt, & pulſus iniquus,*

ſi na-

ſi naturalitas recenſita non obijceretur, ſed vereor falſam fuiſſe narrationem, exitus acta probauit; & vt à calumnijs vindicarentur Medici, & medicina, dum non defecerunt ſcrutantes ſcrutationes ſuas, & conſilia mala, hæc mihi occurrit narrare non minus, vt palam fierent inuidi, & iniqui calumniatores, quam vt parentes, & amici præfati olim Domini languentis ſatisfiant, nè mens vacillari poſſit ob caſum factum, quaſi repentinum, ob non canonicam curationem, & morbi cognitionem, idcircò ad Præceptores dico ad coriphæos medicinæ Neapolitanos meus (reuerenter tamen) conuertatur diſcurſus.

Quinque conſideranda conſpicio; Primò, vnde hæc materia tam gelida orta fuit, & cur potius naturales partes obſiderit; Secundò, vndè tanta flatuum copia, & ſi valuerunt præfatum morbum permutare; Tertiò, cur tanti dolores, & ſi potuerunt vrinam ita incrudare, pulſum minorare, & morbum malignare; Quartò, febris ipſa quæ fuit, & ſi alter morbus poterat ex præfatis ſignis connotari; Quintò, repentinus ille actus in 17. die ſuæ ægritudinis, vndè euenerit, & ſi ab antecedentis diei quiete poterat indicari, ita vt mala fuiſſent quædam verba à me prolata in illa die, in qua fuit expers doloris per multas horas tranquillitas pulſus, præcedentia boni ſomni de nocte, & de die, etiam poſt cibum, & illum ſuauiter ſumpſerat, ita vt bene ſe habuit ad ea, quæ ſibi oblata fuere. Verba autem, cum viſitaſſem illum circa 21. horam diei Sabbati 16. ſuæ infirmitatis, & inueniſſem hæc cuncta bona fuerunt verba formalia : Se dimani à queſto tempo ſtarai coſsì, io te conſegnarò alla Signora Moglie Sig. Geronimo, ch'era ſuo nipote aſſiſtente continuo alla ſua infermità, & al Sig. Matteo, queſt'era il Medico ordinario.

Circa primum homo, qui paruus mundus à Philoſophis exiſtimatur quidquid in magno obſeruatur in hoc paruo conſpici, & figurari videtur, ſic Philoſophus hominem conſiderans vnum, & omnia vocauit, & ſi in magno mundo niues, & glacies, aliaque ſimilia fiunt à nimia excedenti frigiditate, vt in Metheorologicis habetur hæc eadem in corpore poſſe inueniri Galenus *ſpecialiter in ſemetipſo obſeruauit, eiecit enim chriſtallum fuſum tangentibus frigidum, quem pituitam vocauerat; paſſus enim tunc fuerat colica, & putabat eſſe nephritidem, & ſi cauſæ vitæ antè actæ narratæ in frigidis potationibus, ſæpe poſſint medio hoc anni tempore hiemali talem producere, humorem textem non quæro, niſi* Galenum 1. de natura humana, & in 3. aph. *paſſim qui hieme frigidam gigni pituitam determinauit, immò explicans,* 1. de nat. hum. num. 36. *quaſi ſiluam ciborum producentium pituitam, etiam noua vina adducit, & ſi illam generat vinum, quanto magis potus aquæ; frigida enim potatio, & tempus anni concurrunt ad generandam illam pituitam, quam vitream nominamus; hæc quidem in ægro illo per inferiores partes comparuit, ſed cur ibi, & non in ſuperiori corporis regione? Dicam inteſtina noſtra libenter recipere excrementum illum pituitoſum in-*

uen-

ventriculo generatum, cum plus iuſto illo repletur, tùm propter gravitatem illius infimum corporis locum, & ſentinam naturaliter petens,& tantò magis quia ſi coiti (quia dum vxoratus erat) validæ complexionis, & calidæ, tunc ſi forzan (quod non credo) coitui deditus fuiſset, qui a partes infimi ventris magis debilitantur ibiq; materia potens cruda deſcendere, faciliter flatibus poterant impleri, vt contingit Damagoræ cum ventris inflatione,& Archeſilao cum ſtrepitu,referente Hipp.in 6.epid.ſect.3.text.12. ſed quia etiam a tali materia ventos produci,colligimus ab Hipp. 2. de diet. nu.2. dum dixit, omnes ventos ſpirare à niue, glacie, gelu, &c. & ſubdit ſic eſſe quemadmodum animalibus ſpiritus eſt, horum autem genera duo poſuit Gal.3.de cauſ.ſympt.c.2. nempè vt qui à borealibus ortum ducat, hic autem morbos non parit, nam & ſurſum aſcendens eructationes facit, & deſcendens parit ſpiritus cum ſono; alter qui craſſus nebuloſus,vaporoſus, turbidus, & viſcoſus eſt,in auſtrinis obſeruatur conſtitutionibus; hic autem inflationes parit vnde etiam generantnr morbi, & hunc flatum crederem eſſe illum poſitum ab Hipp. lib. de flat.nu.13. dum dixerat omnium morborum cauſam eſſe,vt quid non poterat inteſtinales portare dolores? vt ſpecificè num.14.notauit,hi flatus ab hac peſſima conſtitutione producti in hoc languente accreuerunt, & ſi conſtitutio auſtrina febres prauas inducere poteſt maleficio tot humiditatum, cur flatus his temporibus aduniti non poterunt, etiam malam qualitatem contrahere; virtus autem talis tributa flatui notata eſt ab Hip.lib.de veteri medicina num.40. dum dixit quinque poſſe flatus producere, ſcilicet ſtrepitum,& ſonum, tranſmutationem, & motum, & tandem commutationem; ergò, ſi commutare, & tranſmutare valent, quorſum non poterint febrem vnius modi in alteram vertere ideam. Scimus enim ex Philoſopho hanc differentiam poni inter motum, commutationem, & tranſmutationem, quia motus mobile, commotio agens,& tranſmutatio,vel formam vel materiam ſupponunt, ideoque dum forma,vel materia per flatum tranſmutantur, poterit idea permutari, & ſic abſoluitur meo quidem rudi iudicio digreſſio; ſecunda ſcilicet an flatus multus, qui in corpore illo fuit, valuit dictum, morbum permutare?

Circa tertium,vnde tanti dolores?dicere potuero cum Gal. quod poterant à duplici cauſa proficiſci,vel à materia,vel à loco, de materia extat doctrina Gal.2.de loc.aff.c.5. quod pituita craſſa viſcoſa lenta, & glutinoſa, vehementiſſimos cauſat dolores, hanc autem Praxagoras vitream appellauit; ratione loci, aut quia eſt nimis anguſtus hinc videmus, cum in tali parte occludantur, aut vapor, aut flatus,vel minera cum euentari non valeant,maximos cruciatus inducunt, aut quia eſt nimis ſenſibilis magnam dum patitur ſenſationem acutus ſentitur dolor, dicant hanc veritatem Cardilgici, qui in ventriculo recondentes humorem ſummam ibi ſentiunt paſſionem,dicant quoque, & iſti, qui inteſtinales habent dolores, quem clamorem non emittunt, quam viam non tentant, vt ab hoc cruciatu liberentur, ideoque

denomi-

denominari ſolunt à Ioanne in ſua Præſodia, Domine miſerere; crederem, *aut quia inteſtina ſunt membranoſa, aut quia neruoſa, propterea ſic grauiſsime affligi. Concurrebant omnes cauſæ prædictæ in hoc olim languente, materia iam fuit notificata, locus in aliquibus partibus erat anguſtus, & pars affecta membranis, & neruis contexta, ſed ſi dolor, vt mos eſt, dicit* Gal. lib. de motibus obſcuris, & manifeſtis noctu inualeſcit; *in hoc languente per hunc dolorem ſomnus plurium noctium euanuit, quorſum non poterat calor ad coctiones deſtinatus debilitari? inde mala chilificatio, peior ſanguificatio oboriri quorſum vrina crudæ, & aqueæ eſſe non potuere? quorſum, & pulſus diminutiones pati non poterat? & ſi colluuies cruditatum ſine morbo poſſunt producere morbum, illumque malignum, vt habetur* lib. de cibis boni, & mali ſucci, cap. 17. *quorſum illæ non valebant in morbo maiorem malignitatem generare, hæc autem cenſeri maior nō poteſt, quam latitans virus, quare ſatisfit per hanc doctrinam tertiæ digreſsioni, an valerent tanti dolores vrinam incrudare, pulſum minorare, & morbum malignare.*

Circa quartum meum propoſitum dicere, ſi per multos dies febris vniformiter procedebat, ergo continua erat, igitur de illa vereri potueram, ſi non ratione alicuius inflammationis, vt falsò quidam putabant, vnde linguam affrenare non poterant, ſaltim ratione malæ qualitatis vt Gal. *placuit hanc diſtinctionem ponere* 4. aph. 43. *& tanto magis propter illum pulſum verè iniquum, qui illi coniunctus erat, & ſub ſpe connaturalis figurabatur: Profectò ſi talem ſignum non adeſſet de febre ſymptomatica boni moris, potius quam mali moris iudicium fieri potuiſſet, cùm experti ſæpiſsimè fuimus nos Medici, & aſtantes, quod inualeſcente dolore febris augebatur, & pulſus opprimebatur, cum autem dolor ceſſaret febris mitior reddebatur, & pulſus ad quandam mediocritatem reducebatur, immò ſi pulſus quantitas, & qualitas mihi fideliter narratæ fuiſſent præſagium certiori modo, & non ſub nubilo ad malum potuiſſem explorare; pulſus enim eſt certiſſimum facultatis vitalis inditium,* Gal. lib. de cauſ. pulſ. *dixit*: Quæ ergo inflammatio poterant in tali continuitate febris ſuſpicari? externa, vel interna, ſi prima creditur alicuius viſceris eſſe, & cuius? Meſenterij forzan, an Ventriculi, Iecoris, vel Splenis? *non ne debuiſſent ſigna talium viſcerum dari, primum ſignum vniuerſale omnium iſtarum inflammationum eſt dolor, at in nullis aderat, & vnquam adſuit, quia nunquam conqueſtus fuit, & etiam interrogatus negauit; Secundum eſt aliqua tenſio, & hæc nec aderat tantum in liene, & hepate interuallatis temporibus dicebat inflationem, non inflammationem ſentire, & cum aut aſcellaret, aut crepitus emitteret, remouebatur, & pœnitùs ſentiebatur, ſed aliquando tendebat ad renes, & ibi per applicationem ſacculi anodinorum leuabatur, aut euaneſcebat; Tertium, vbi ſitis? vbi linguæ ariditas? vbi tinctura? communicari enim debebat linguæ ſaltim talium viſcerum inflammatio, vt habetur ex* Gal. 4. acut. com. 4.

com.4. *nec inflammatio interna dici potuerat, dum non ſolum lingua humida, ſed expers ſitis erat, nullum internum incendium erat, nulla partium externarum frigiditas, niſi in vltimo die, quæ 17. fuit, ergo, vt quid ita inuidè, ita dirè nos obtrectare, ob Medici compatriotæ? de omnibus illis ſignis extant doctrinæ, tum ex eodem* Gal.2. præſag.com.4. *tum* 4.aph. 48. *tum etiam* 7. aph. 1.

Decepti o forſan eſſe poterat, quia volebat linteos frigidos aliquando ad ventrem applicare totum dicebat velle facere, quia à rebus calidis nimis excalefactus erat, vt etiam ad manuum volas extendebatur præ epatis excalefactione à calidis aplicatis, & ſi ex ſubſtantiæ rei calidæ adheſu poteſt febris generari, lib. de cauſ. morb. cap.2. 1. de feb.c.3. *cur non poterat hepar alterari, & manuum volis communicari ex manus enim magnitudine, vel calore hepatis magnitudo, vel calor poteſt auſpicari*, Auic. *nos docuit.*

Circa illa verba, dicta fateor, *me benè legiſſe* Ariſtotelem in topicis, *quod conditio* ſi, *non ponit in eſſe de neceſſario, ſed de contingenti, vndè lij*, ſi, *tantum valet, ac ſi diceretur*, ſuppoſito, quod die craſtina ſic erit, tunc conſignabitur, &c. *ergo non erat certitudo, dum ponebatur ſuppoſitio,* alias dictum fuiſſet craſtina liberè conſignabitur, &c. *& quomodo poterat liberè pronunciari, ſi expers febris non erat, ſi ſuſpicio erat de tertiana, an non exercui medicam facultatem per ſpatium quaſi* 30. *annorum? an non alios docui vera* Hippocratica, & Gelenica *documenta in publicis & priuatis lucrubationibus? Audebant etiam dicere non fuiße verè gelu aut pituitam vitream, quæ eggrediebatur, ſed potius adipem inteſtinorum, ob faſcinatio noſtrorum concinium, pace banorum, & forſan alicuius extranei, ſi erat adeps inteſtinorum vnde crepitus tunc temporis? quare tormina & ſi hæc, quare cedebat calidis remedijs, & ſi potuerat cedere, cur ex eorum exitu alleuiabatur? vnde ſentire maximum refrigerium fatebatur, & ſi hæc quoque eſſe poterant, vbi abdominis extenuatio? ob cæcitas iniqua?*

Circa quintum propoſitum vnde euenerat ille repentinus actus 17. *diei ſuæ infirmitatis? ſatisfieri dubio, poteſt quia tunc aluus largè fluxit putridam biliofam materiam, & fætidam educendo eiuſdem tamen tenoris, vt fuit, quando illo tunc à carceribus domum ſuam liberè pergit, vt ſui familiares dixerunt, cum hoc fluxu ceſſarunt dolores inteſtinorum; amplius enim gelu non comparuit, ſed vbi materia recondita erat hæc? liberè dicam, circa partes ſpirituales, à cuius vaporibus ad cor elatis virtus reddebatur ſuppreſſa, & ab hac cauſa proueniebat iniquitas pulſus, & non a naturalitate: nec obſtat dicere dum partes ſpirituales ſunt læſæ, igitur reſpiratio etiam læſa eſſe debuerat, & tamen talis difficultas reſpirandi non adfuit ante* 17. *diem, dicere poſſem non fuiſſe reconditam materiam circa partes propè inſtrumenta reſpirationis, ſed potius propè illa, quæ deſeruiunt pulſatili facultati; ſæpè enim obſeruamus pulſum illæſum, & reſpirationem offenſam, vt in hiſtericis mulierum paſſionibus obſeruatur, & è contra, vt in palpitatio-*

nibus cordis videmus in illa 17. *die, cum criticaſſet natura ad mortem impe tuosè agens, quia irritata fuit, talem excretionem fecit, ſed quia decretoria non decernentia mala, ſcribit* Hipp. 2. epidemiorum, *meritò mala iudicatio fuit, ſed quæ bona criſis expectari in malignis poteſt? dicit* Gal. in ſuis de criſibus libris, *& ſi à die inceptæ euidentis tertianæ voluerimus computare illa quinta erat ſymptomaticæ euacuationis (quandocumque fuit) eger cum illa peſsima excretione vitam cum morte commutauit, & ſi in antecedenti die, ita benè ſegeſſerat circa cunctas actiones, vt parentes, & familiares ſuæ domus testes eſſe potuerunt, vigori malignitatis tribuere valebit, ſcimus, & nos dari quamdam malignitatem à nulla ſpeciali parte deſumptam, cuius ſpecificè tria ſunt ſigna, ſcilicet corruptio, vt primò de compoſitione per genera habetur, ſecundum eſt à remedijs benè adhibitis exacerbatio, nam vt* 6. epidem. *legitur, malitia omnia ſuperat, tertium eſt reuerſio ad malum poſt quietem; præ malignitate enim contingere poterit, dicit* Gal. 1. de decretorijs diebus cap. 1. *ſic creditur fuiſſe illam antecedentem diem, cui omnia fuerant remiſſa, propterea ſi ſub conditione loquutus fui à culpa vindicatus eſſe potuero, vt ſupra hæc digreſsio dilucidata fuit. Sed ſi verum eſt malignitatem in cauſa mortis fuiſſe, an huic poſſumus annectere cauſam contagij primo loco mentionatam ex mora in carceribus facta? Huic dicere hæc pauca intendam, ſi ad contagium concurrit potentia agentis, quæ nam maior potentia eſt iſta, in qua vidimus, & mortuos, & ægros quamplures, ex loco occluſo exire, fætorem magnum ſentire, hic patiens noſter, & vidit, & tolleravit; corpus autem ſuum laxum erat, ſi non à natura ſaltim ab arte ob tot, & tot aeris humilitates, quas hac præſenti conſtitutione omnes quaſi manu illas contractauimus, temperatura ſui corporis calida, & humida erat, vti humiditati adiuncta altera ambientis aeris, laxitas progenita fuit apta ad recipiendum contagium, mora non defuit, quia per plures dies illius carceratio perdurauit: poſſe autem ex contagio febres palliuolas fieri, teſtis ſit* Hyeronimus Fraccaſtoreus in ſuo de contagione libello 1. c. 10. *dicens lenta, & glutinoſa materia lenes facit producere febres in contagio; profunda enim eſt putrefactio, quæ lentorem inducit, & ſic acrimonia hebetatur, ſed talis materia in hoc caſu fuit oculis, patefacta igitur poterat lenem conſtituere febrem, immò, & alij de contagio Scribentes dicunt quod valet cauſa prædicta diu conſeruare contagium, abſq; quo medico innoteſcat, vt* Gal. 3. epid. ſect. 3. *ægroto quarto notauit.*

Sed quid reſpondebo inſtantijs factis circa curationem? Tres inſurrexere inſpectores. Dicebant primo, cur purgaſti? cur medicamentum ſcammoneatum dediſti? cur venam non ſecaſti? & talia fuerunt maiora dubia (vt ad aures peruenit) Primò, ſatisfit vehementiam doloris inteſtinalis furioſitatis nomen habere, ſic vocatur ab Auicenniſtis furioſitas magnæ accidentalitatis, huic pleraque pars Doctorum tàm Claſsicorum, quàm non Claſsicorum purgantia medicamenta præbent in hoc caſu, & communiter omnes practicantes

cantes vnanimes cõcordant in purgando cũ bolo confecto ex illis, iuxta tamẽ qualitatẽ materiæ, aut ſecundum vehementiã doloris, & ſecundum reſiſtentiam remedijs infernis, ſed hæc omnia concurrebant tunc tẽporis in dicto languẽte, igitur conferens erat; Secundæ inſtantiæ ſatisfit tunc medicamenta ſcãmoneata eſſe dãda, quãdo ex remedijs infernis nil ægeratur, & quicquid ægeretur tenax fuerit, & frigidum, aut humor tantum, & non pars fæcalis cum humore, ſic contigebat illi (ſed ſit ad Dei honorem) cum hæc præparabantur pro cauſa frigidæ materiæ, vt ſupra tunc accedens addere diſpoſui maiorem portionem frigidæ complexionis dico Diapruni lenitiui, quæ confectio ſolet in febribus ardentibus præparari, & non caſſiam pro occaſione tantæ copiæ flatuum, quæ ſentiebantur, quod diaprunum caſtigare poterat calida, & ſcammoneata vigore ſuæ frigidæ compoſitionis; Sed quid vltra progredior? legant quasò Barbati, & Imberbes, Valerium Cordum *optimum compoſitorem, & Antidotarium Bononienſe, Henchiridion Actuarij, & tandem non minus Doctũ, quàm expertum Meſuem, & ponderent illos ſunt, nè tales confectiones etiã in febribus probatæ? dico diacaptol. & diaphen. & hoc præſertim valet in Colicis doloribus? æducit ne bilem, & pituitam? Circa tertium cur non miſi ſanguinem, at peto ab iſtis vnde? à brachio forſan, vt materia magis vitalibus internetur partibus, ſi trahit à circumferentia ad centrum; An ex pede forſan? & ſi vrina ita aquea erat, vt à calidis remedijs deforis applicatis, vnquam potuit colorari, igitur in his partibus ſumma erat frigiditas, vt quid forſan refrigerare magis partes affectas, dum venæſectio ex* Gal. lib. de veneſ. *aduerſus Eratiſiſtratum refrigerat totius corporis habitum, & ex pede facta illam partem potiſſime valet infrigidare, an forſan, vt cruditati cruditatem adderemus cum Auicenna. Sileant ergo, quia Præceptores habemus vera iudicantes in Deum. Nos rogemus inſolidum, vt in hac diſcuſſione palam faciant veritatem, & ſi optimos elexi Iudices, ſpero iudicium rectiſſimum audire, quibus (vt doctrinæ) me ſubſcribo, ſic Neſtoreos annos eiſdem à cœlicis deprecabor: Viuant felices. Salerni 25. Ianuarij 1646.*

Michael Roccus Medicus Salernitanus.

MICHAELI ROCCO MEDICO EXIMIO

Paulus Aemilius Ferrillus huius Regni Regius, & Generalis Archiater & in gymnaſio Neapolitano Primus Practicæ medicinæ Profeſſor. Antonius Santorellus Primus olim Philoſophiæ, & nunc in eodem gymnaſio Theoricæ medicinæ Profeſſor, Franciſcus de Aponte, Aloyſius de Gratia, & Franciſcus de Curtis A. & M. DD. S.

REprehendi Medicos quoties æger moritur, antiquiſſimum eſt, nàm vel Hippocrates ipſe antiquiſſimus medicinæ parens,

toties fuit vexatus calumnijs, vt dixerit, maiorem infamiam, quam laudem ex arte comparaſſe. Non eſt itaque mireris, Doctiſſime Rocce, quod quidam Medici te faciant Auctorem necis Pauli Capograſſi Salernitani Patricij, & vita longiori digniſſimi; Hæc enim lege laurea Doctoratus Medici inſigniuntur, vt malos euentus ſemper illis referat vulgus, proſperos dijs, aut robuſtæ naturę languentis tribuat. *In arte medica* dicebat *Hippocrates* ad *Democritum* ſcribẽs: *Quæ rectè fiunt pleruñque quidam hominum vulgus non admodum laudat: ſæpè verò Dijs attribuit. At ſi in aliquo repugnans naturæ, eum qui curat, interemerit numen prætermittens, medicos incuſat, & ego ſanè plus reprehenſionis, quam honoris ex arte conſequutus videor.* Quare ſi nos audias, ridebis hunc vulgarium riſum, & cum graui illo Philoſopho dices: *Populus me ridet, at ego non rideor*; Quid enim tam calumniæ proximum quam te repræhendere, quod fueris deceptus in prædicendo euentu huius effectionis, & in eiuſdem cura allucinatus? in prognoſi quidem, quia ſequenti die perijt, quem die præterrita euaſurum promiſeras, tum tamen erraſſe in Prognoſtico verum, ſit, nec in curatione peccaſſe. Non in prognoſi; euaſiſſet enim proculdubio æger, ni nona affectio ſuperueniſſet illi, alui nimirum imm odica fluxio: Quamobrem vt iniuſtè quiuis medicum reprehendet, quod æger, quem euaſurum à febre prędixerat, perijt, paulo poſt ab hoſte interemptus, haud aliter iniuſtè te erraſſe contendunt, non ſolum quia perijt ob nouum affectum, ſed quia euaſurum dixiſti, ſi eodem modo poſtridie ſe haberet hipotetica, autem propoſitio nihil ponit in eſſe, vt logici dicunt. Demus tamen in præuidendo euentù morbi hallucinatum fuiſſe, & deceptum turpiter, an propterea tamquam malus medicus damnãdus? At qui errauit Hippocrates, & à futura ſe deceptum fuiſſe fatetur, *more magnorum virorum, & de ſe magnam fiduciam habentium*, vt dixit latinus Hippocrates frequenter errare hoc ſtultum: quandoque humanum, nunquam Dei *Galen.* de Archigene docto alioquin medico: *homo* inquit *fuit errare igitur potuit.* Faciunt ne iuſtè te auctorem necis, quod non rectè præuideris, vt ipſi dicunt; nihil verò minus. Occidunt ægros medici, cùm præ ingnauia omittunt, quæ egro magno poterant eſſe præſidio, aut illa illi admouent remedia, quæ omnia in peius conuertunt. At nihil omiſſum, aut commiſſum; nam quod dicunt omiſſam eſſe venæ ſectionem, cum ſuſpicio eſſet inflammationis internæ. Fuiſſe erratum in quantitate medicamenti purgantis, nam cum leuia commendet *Gal. in effectibus ſtomaci, & inteſtinorum*, ſcammoneatum aſſumpſit, leui flatu reijcitur, nam cum vel venenum in exigua doſi aſſumptum, non offendit, vel ſcammoneum in exigua doſidatum, leue euadet pharmacum, non eradicans, ſuſpicio inflammationis internæ, gratis fingitur, nullo nititur

ſun-

fundamento, cum hanc febris magna ſoleat comitari, ſitis cum linguæ ariditate, & nigredine, quæ cum nullatenus fuerint obſeruata in ægro, ante, fingunt iſti, vt feriant, ſed certè furiunt non te feriunt, & quidem ignorare non debent ijdem, vulgatum illud prouerbium, *filij Deorum inuulnerabiles*, Vale, & nos ama.

Neapoli die vltimo Ianuarij 1646.

Paulus Aemilius Ferrillus Archiater.
Antonius Santorellus.
Franciſcus de Aponte.
Aloyſius de Gratia.
Franciſcus de Curtis.

DE

DE HEPATIS INFLAMMATIONE LITERARIVM DVELLVM.

DECIO CAPHARO CAVENSI MEDICO.

VINCENTIVS DE PETRONE S.

CRVENTIS, horridiſque in armis, iam totus (ò Caphare) exagitatur Orbis. Aſianis, Æuropeis, Americis, & Africanis in Oris, ſplendeſcere nonniſi arma videntur. Ad aera explicata Vexilla, mutula voce dicunt ad arma. Clamant Tympani ad arma. Excitant Flautus ad arma, & Tubæ terribili ſonitu, vociferantur ad arma. Arma capiunt Milites, & armis, Æternitatis in Annalibus ſuas illi, ſanguineis caracteribus, delineant glorias. In cadauerum turmis, ſuos quiſque effingit triumphos. Ferro adapertis venis, ſui pectoris quilibet virtutem oſtendit. Ad ſanguinis effuſionis augmentum, Expirantis augentur trophæa. Ad tympanorum, & ad tubarum ſonitum, non horrida, & deformis, ſed pulchra, & vaga, morientibus videtur Mors. Bellantium animos mille, & mille non deterrent cadauera, immò ex glaciatis illis corporibus, gloriæ ardentiſſimi exoriuntur æſtus. Pugnando transfoſſo pectore, moribundus ſi cadit miles, hoſtili tamen fortis animus non cedit ferro, hinc illius tremebundi, formidabiles, & feroces, vltimi motus ſunt, vltimæ voces. Ac tandem generoſo corde, tàm Vulnerantibus, quàm Vulneratis, ex lancearum truncis, ex infractis ferris, ex mutilatis membris, Mors, & Mars ſanguineis depictam ſtillis, vel cruentis potius ornatam ſtellis, Æternitatis in Campo, æternam intexunt Coronam.

At Literis, ſi Arma cedunt, en in Caſtris triumphorum Martis, & Mortis, erimus ſpectatores, & Apollini in Lyceis, Literarijs Duellis, Mauſolea nos non erigemus? En horrido Mortis Silentio, dulcis cedet Muſarum Cantus? En Martis armorum in ſtrepitu, Apollinis non audietur Lyra? En Laurum, Temporis fulmina nunc pertimeſcere futura intelliget Ætas, Quercum autem illa ſpernere, & deridere? En Bellantium ferra, hoſtili inebriari ſanguine, intuebuntur omnes, & He-

& Heliconis,& Aganippis aquas,nos non hauriemus? En Terra ſanguineis rigata torrentibus, Militum fortitudinis perpetuum erit teſtimonium; & in eodem tumulo noſtra corpora contegentur, & Nomina? Ah non. Bella in generoſa pectora ſi influunt Cœli, eandem nos ſequamur fortunam: Literis, & Armis idem ſit, comune fatum. Calamos ergo euaginemus, & ſingulari diſputantes certamine, claram nigris caracteribus ſuo nomini quiſque comparet famam. Literarij occaſio Duelli inter nos de Iulij Pepoli morbo, Controuerſia fuit. In illum purgando te eraſſe, immò & illum, medicamento occidiſſe, ad ſuſtinendam meus calamus eſt paratus. Ad defendendum temetipſum accinge. Literariam quærenti arenam, terga voluere Sapientis non eſt. Diſputationis abſque erubeſcentia, non poteſt quis effugere campum. Habet ſua onera honor. Gladio non ad Hominis ornamentum cingitur latus, ſed alios, vel vt illo offendat, vel ſe vt defendat. In pace non cognoſcitur miles, ſed dimicantibus armis, quando militum vita perit, ſed mortis, non moritur gloria. Dulces, & tranquillas, qui arauit vndas, Nautæ nomen non meretur, ſed ſpumantes Oceani qui pertranſijt aquas. Eia ergo, tuum audaci pectore in me conuerte calamum. Mea hæc Scripta, tuis glorijs ſint fundamenta: Super illa tibi erige immortalia trophæa. Silentij tenebris, tuum ne perdas nomen. Inter indoctos locũ ſi reſpuis, literaria arripe arma. Sapientis viri, à Sapientibus, alicui non conceditur fama, ſui ingenij aciem inter ſapientes, ſi quis non oſtendit. Sapientiam non ſecum affert ſenectus, & rudis mineruæ in iuuentute qui fuit, rudioris eſt iam factus ſenex. Argenteæ barbæ credulus credit Vulgus, quæque Senum pueriles contegit, & defendit errores, ſed barbam Sapientes derident, & illorum in Calamo omnis ratio ponitur. Si ſapis vel non ſapis, tua Scripta dicent, nec te adiuuabunt, aut Barba, aut Ætas. Duelli itaque, iam quæſo adeamus conflictum, & Ægritudinis narrare hiſtoriam, ad pugnam, noſtri ſint apparatus.

Iulius Pepolus Salernitanæ Eccleſiæ generalis Vicarius, ſexageſimum tertium agens annum, temperie vniuerſim calida, ſano & robuſto Corporis habitu, Solis non longè ante Canem, ſub ęſtiuis ardoribus per quindecim ferè dies, in continuis cum) fuiſſet itineribus, generoſo non parcens vino, immò & ſuillis carnibus, die Martis, qui fuit 26. Iunij, Veſpere in febrem incidit: Renum & capitis aderat dolor, Nox inquieta. 2. die, ſub meridiem ignis eum corripuit. Per totam Acceſſionem in manibus, & in maxillis tremores: difficultas ſpirandi: totius corporis color mutari incæpit: lingua rubra, & arida. Sitis, Vrinæ turbidæ. Tertio die, ex pede fuit illi miſſus ſanguis: cibi faſtidium: vomitus: perſeuerabant eadem: virtus videbatur oppreſſa: Ictericus factus eſt. Quarto die, in circuitus principio, liuidus

per

per duas horas fuit corporis color: virtus magis proſtrata: ſpirandi difficultas maior: æſtuatio: vehementior ſitis, & ſupradicta alia fortiora. Medicorum Conſilium fuit connocatum. Dixit Ioannes Papa, nec medicamentum, nec ſanguinis miſſionem conuenire, vrinis exiſtentibus turbidis. Hyrudines venis ſedis, ſequenti die applicari, mea fuit ſententia. Medicamentum ex Manna, Reubarbaro, & alijs ingredientibus, tribui ægro debere, Caphari fuit opinio, quam Michael Roccus, Sabatus Robertellus, & Doctor Chiaritius ſequuti fuere. Die quinto, ſupradicto pharmaco purgatus eſt: fœtidi, & bilioſi humoris copioſa fuit excretio, adeò vt ad ſexaginta vſquè, ſe extenderet vices. Triumphantes præſertim Capharus, & Doctor Chiaritius per Ciuitatem ibant, & percontantibus, quid de ægro eſſet? Reſpondebant, ex medicamenti exibiti tàm perfecta euacuatione, melius æger ſe habet: immò in Galeni doctrina iactabundus, de Vicarij morbo particularem textum, ſe inueniſſe affirmabat Doctor Chiaritius, quo Vicarium purgans, Vicario comparauit ſalutem. Veſpere ad ægrum D. Thomas de Coſſidente acceſſit, & ex tactu ſubfrigido, difficultate ſpirandi, languidiſque viribus, adauctam ex Medicamento Hepatis iam eſſe inflammationem, quam ego prædixeram, judicauit; & ad interitum languentem tendere præſagiuit. Quod præſagium Chiaritius, & Capharus irriſerunt: ſed euentus in omnem æternitatem illos deluſit. Sexto die meliora eſſe omnia publicè affirmabant: Hepatis regio intumuit: non mingebat. Tumorem Chiaritius obſtructionem credens, oleo Abſinthij & Capparis, Hepatis regionem inunxit, & pubem oleo amigdalarum dulcium, vt æger mingeret, madefecit. Septimo die, hirudines venis ſedis applicarunt: non mingebat, niſi vel paucas ſtillas: ſitiebat: lingua arida. Octauo die, mora ad ſatietatem Chiaritius ad comedendum dedit: omnia clamabant eſſe meliora: vrinæ non turbidæ cæperunt fluere, ſed crudæ: dormiuit. Nono die, Mora etiam idem Doctor ad ſatietatem dedit, & ſanum Medici omnes viua voce acclamarunt: vrinæ etiam crudæ. eaſdem inſequebatur Chiaritius applicare vnctiones: debilis in toto corpore aduenit pruritus. Decimo die, corporis color magis vitiari cæpit: pruritus maior: virtus proſtrata: lingua aduſta: ſymptomata omnia fortiora: nox inſomnis. Vndecimo die, pruritus maximus: auriginoſus ictericus factus eſt: facies tornatilis. In brachio venam illi ſecarunt, Ioanne de Galdo Salernitani Collegij Priore contradicente? tum quia acceſſio quæ nocte inuaſerat, in augmento erat: tum quia cibus in principio acceſſionis à Chiaritio datus, ex eo quòd acceſſionem cognoſcere neſciuit, non erat adhùc digeſtus: ac tandem quia virtus propè interitum erat, nec poterat ſanguinis miſſio, niſi mortem illi accelerare. Medicos de tali prognoſtico

gnoſtico deridebat Vulgus: at illi abſquè vultus erubeſcenti a, Recidiuam eſſe dicebant. Duodecimo die,in collapſum ibant omnia. Decimotertio die, apud Medicos magna fuit ſpes ſalutis, hinc ſequenti die decimoquarto medicamentum ex Reubarbaro & manna iterum propinandum eſſe conſuluerunt, ſed tertia noctis vigilia, obdormiuit æger in Domino.

Hoc ergo ſtante apparatu, eia ſtringamus ferra, & diſputando imperterritum vt me credas, ecce nunc literarijs ictibus, meum primò,ego offero pectus: hinc ſi *Scire eſt rem per cauſas cognoſcere*, dicendorum ne vlla quidem vel confuſio, vel vlterius ſciẽdi exoriatur ſitis, ab vniuerſalibus, & remotis principijs particulares ego Concluſiones deducam.

Verùm quia ex humoribus à naturali recedentibus ſtatu, tantæ corpori contingunt ruinæ;& oppoſitorum præterea cùm non poſſit perfectè vnum cognoſci,niſi cognoſcatur & alterum, corporis idcircò quis ſit naturalis ſtatus, examinare oportet, corpori hoc eſt, ad quid inſeruiant humores, & nutriendi corpus eundem cùm ſanguine vſum, an habeant omnes, vel ſanguinis ſint excrementa: his etenim cognitis, vt clariſſimè ex dicendis patebit, morborum difficile non erit percipere cauſas. Sed à principio vt rem exordiar, ſic mea exordiatur Oratio.

QVIA Calor eſt quo Anima agit, ſeu Animæ eſt Inſtrumentum ex Ariſtotele in ſecundo de Anima, præexcellentem idcircò ſi in Viuentium mixtionis principio,Calorem habuiſſe gradum,fuit neceſſe: vndè *Qui creſcunt plurimum habent calidi innati* in 1. Aphor. Hippocrates dixit. Verùm quia Caloris, inter alias corruptionis cauſas, ſuffocatio eſt & extinctio, per occluſionem, quæ cauſatur vna,per pabuli defectum,alia:prouida idcircò Natura Viuentis,ne igne ſceret,ac ſuffocaretur Calor, corporis cutem veluti Naſſulam piſcatoriam fabricauit,adhoc nempè, vt diffletur ille,& ventiletur. Sic prætereà ne extinguatur,materialia generationis principia, ſemen videlicet, & ſanguinem menſtruum,pro Caloris ſuccendiculo Natura ipſa conſtituit: immò ne fortè caloris actione, ſtatim illa conſumerentur, & Vita periret, alimentis Animal indigere decreuit, vt nempè ex illis,arterialis gigneretur, & venalis ſanguis, quorum, arterialis,ſpermaticarum partium ex ſemine genitarum, venalis verò,illarum,quæ ex ſanguine menſtruo fuerunt genitæ,vt 2.Colliget cap.2.docet Auerroes, defectum reſtaurarent.

Sed aliorum humorum vt cognoſcamus vſum, an illi nutriant, videamus primò: vel ſi ſanguinis ſunt excrementa, ad quid corpori, illi inſeruiant,examinemus. Ad dicendorum autem claritatem maiorem, per breues articulos, & breues reſponſiones, ne tractatum

cum tractatu confundam, examinandam materiam ego percurram vndè ſit primò.

ARTICVLVS PRIMVS.

An præter ſanguinem, alij humores nutrian t & corpori quem illi præbeant vſum.

QVANTVM ad primum. Medicorum ſuſtinet Schola, alijs etiam humoribus, non ſolo ſanguine, nutriri partes. Pituita enim, ſecundùm aliquos, nutritur ventriculus, ſecundùm alios Cerebrum; Bile, Veſica fellea; & Melancolia Lien. Solus namque ſanguis, tot diuerſis corporis partibus familiare non poteſt eſſe alimentum: vt illi fatentur.

Oppoſitum, Philoſoforum Schola defendit, ſanguiniſque excrementa, tales aſſerit, eſſe humores: & Medicorum ratio facile ſoluitur. Si cnm Philoſofis nos dicamus, quod ſanguis, etherogeneum eſt corpus; hinc ſecundum eius diuerſas partes, illo diuerſæ corporis partes poſſunt nutriri.

Nec eſt verum, quòd Pituita, aut Cerebrum, aut Ventriculus nutriuntur; Bile Veſica fellea, & Melancolia Lien: niſi per nutritionem, oblectationem intelligas: hiſce nanque humoribus, diù hæc viſcera oblectata, ad proprios obeundos vſus, illos deponunt: mẽbra etenim iſta, cùm ſint partes ſpermaticæ, arteriali ſanguine nutriri, cum Auerroe ſuprà diximus.

Dices cùm Medicis, quòd Humor, ex Auicenna, eſt ſubſtantia apta nata nutrire, vel ſola vt ſangnis, vel alteri admixta, vt cùm ſanguine vtraque bilis, & pituita: ergo ſanguini admixtis, poterunt ſaltem ex iſtis humoribus, membra nutriri.

Sed Medicorum pace, Aſſero ego cum Philoſofis, quòd humores iſti, ſanguinis ſunt excrementa: per coctionem etenim cùm ſanguis gignatur, in eius coctione reſultare excrementa neceſſe fuit: hinc non tantùm de ſe ſoli, ſed etiam ſanguini admixti, non ſunt apti nutrire.

Non primò, ſanguini admixti. Nam bilis e.g. mixta ſanguini eandem retinet naturam, ac ſola: ergo ſi ſola nutrire non poteſt, neque ſanguini admixta. Niſi dicere velis, pulucrem lapidis pani admixtum, nutrire vt panis.

Non ſecundò, de ſe ſoli nutrire ſunt apti. ratio eſt. quia nutriens humor, viuentis in partem vt conuertatur, debet concreſcere: ſed

ex humoribus, præter ſanguinem, nullus alius humor eſt aptus concreſcere: ergo ex humoribus præter ſanguinem, nullus alius humor eſt aptus nutrire.

Maior huius Argumenti quòd nempè nutriens humor concreſcere debeat, difficultatem non patitur, ſi nos cùm Auicenna notemus, quòd ſanguis antequam fiat pars animata, quatuor habet mutationes. Prima eſt, cum ſubtiliatur in minimis venis: Secunda, cùm ſubtiliatus tranſcolat, & per partem Roris inſtar diſpergitur. tertia cum diſperſus, parti aſſimilatur, & ab illius calore concoquitur, & incraſſatur, vnde nouam acquirit temperiem: quarta, cùm aſſimilatus nouam partis contrahit formam, & animatur vt pars. Ex quo, quatuor ſecundas eſſe humiditates, Anicenna docet: prima, illa eſt ſubtiliatio, in paruis habita venis: Secunda dicitur Ros: tertia Cambium; & quarta Gluten. ecce ergo quòd ſanguis, in viuentis partem, antequàm conuertatur, concreſcere debet.

Quòd præterea ex humoribus ſolus ſanguis concreſcat, clariſſimè etiam patet ex hoc, quòd ſolus ſanguis eſt fibroſus. Non enim concreſcit ſanguis, quia terreæ, & aqueæ eſt naturæ, frigidus nempè & humidus, vt non ſolum Ariſtoteles credidit, ſed Hippocrates etiam in libello de corde exiſtimauit, vbi ſanguinem ſua natura non eſſe calidum dixit, ſed fieri calidum, veluti ebullientem aquam, quæ de ſe frigida eſt, per accidens verò calida. ſic ſanguis, ſui natura eſt frigidus, reſtauratque carnem, quæ naturali temperie eſt etiam frigida, ambo autem ſunt per accidens calida, ratione ſcilicet ſpirituum. Nō ergo in quantum frigidus & humidus, concreſcit ſanguis, vt ſic enim potiori iure Pituita, & Melancolia deberent concreſcere, ſed concreſcit in quantùm quòd habet fibras, quas in Ventriculo contrahere ſanguinem, in lib. de Humor. cap. 7. Fernelius aſſerit: Ventriculus enim cum ſit neruoſus, ſubſtantiam quandam pituitoſam, & terream impertit chilo, quam poſtea in ſanguine cernimus: quæque ſanguinis concretionis eſt cauſa: hinc fibris iſtis deſtituti cùm ſint humores alij, illos concreſcere non poſſe, eſt affirmandum, vt in vomitibus, alijſque talium humorum excretionibus quotidiana docet experientia.

Quantum ad ſecundum; quem ſcilicet corpori, alij humores præbeant vſum, Aſſero ego, quòd prouida Natura, nutriendis membris, purum vt alimentum reddat, ſanguinem ab excrementis expurgat, quæ in eius coctione tria reſultant, Pituita nempè, Bilis, & Melancolia, hinc genito ſanguine humores iſtos ob varia munera, ad varios Natura deponit meatus; & ſic Pituitam, per Hepatis expultricem virtutem, Ventriculi etiam coadiuuante attractrice, aut Cerebri ſecundum alios, ad Ventriculum, vel ad Cerebrum tranſmittit, vt

poſtea indigentiæ tempore, ob naturalem ſympathiam ab Hepate illa trahatur, & fiat ſanguis. Bilem præterea, ad Cyſtim felleam demandat, tanquam ad bilis proprium receptaculum, vt ex inde ad inteſtina,& ad Veſicam deponatur illa, ob fæcum, & vrinæ depoſitionem. Ac tandem Melancoliam, non ad Lienem transfundit,vt cum Galeno exiſtimant medici omnes, Lienem enim humoris melancolici receptaculum non eſſe, iam mox dicemus, ſed demittitur ad Ventriculum, cibi coctionem, & retentionem adhoc vt adiuuet, necnon & famen excitet conſopitam. Qua in re, ſummam Dei prouidentiam Auicenna admiratur, cum melancolia grauis ad Ventriculum aſcendat,bilis verò leuis ad inteſtina,& ad Veſicam deſcendat.

In ſanitate ergo,cum Corpus conſiſtit, ſic illud regitur à Natura. At quoniam in Hepate generantur omnes, humores, Hepar idcircò ſi vitiatur,morborum omnium illud dicimus eſſe cauſam: nec ſolum ab intemperato Hepate, morbos credimus exoriri, ſed potiſſimum à vitiato Liene. at quo modo accidant, nunc videamus: vnde ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quo modo Hepar & Lien morborum ſint Cauſæ. & an à Liene,grauiora mala contingant.

Reſpondemus ad primum, quod Membrorum, quia Hepar eſt Pater familias; cum principium Hepar ſit, non quidem facultatis nutritiuæ, (hoc enim in Ariſtotelis ſententia eſt Cor,) ſed principium nutrimenti: cumque ſuas exerceat operationes per quatuor facultates cuilibet viuenti parti communes Attractricem videlicet, Retentricem, Expultricem, & Concoctricem, quæ vltima Virtus in Hepate Sanguificatrix dicitur: & cum præterea facultates iſtæ Organo ſint affixæ; vnde & earum operationes à proprijs organi temperie dependeant, vt in Senſu Viſus in libris de Anima exemplificatur, vbi dicitur quod ſenex ſi haberet Oculum iu uenis, videret vt iuuenis; & à forte ſenſibili corrumpitur ſenſus ibidem habetur, aliam non ob cauſam, niſi quia ab illo corrumpitur organi temperies. Sequitur idcircò ex Philoſophicis iſtis Principijs, Galeni in 5. de locis affect. cap.7. Concluſio Medica, quòd nempè, in quamcumque incidat, vel ſimplicem, vel compoſitam intemperiem Hepar, ipſius viribus accidit noxa, ſecundùm quam,

varíæ

variæ corpori contingunt ruinæ: nam tunc vel Hepar ſuum obie-ctum non attrahit, chilum nempè, aut pituitam indigentiæ tempore: vel pluſquam oportet, attrahit: vel non retinet; vel non concoquit, vel excrementa denique non expellit.

Quantum ad ſecundum Quæſitum duabus Concluſionibus nos reſpondemus: quarum eſt prima, quòd non ſolum intemperatum Hepar, ſed etiam malè affectus Lien morborum eſt cauſa. Secunda eſt, quòd grauiora ex vitiato Liene, quàm ex intemperato Hepate, mala contingunt. Sed clarius in 4. articulo huius ſecundæ Concluſionis veritas eluceſcet.

Pro fundamento autem primæ Concluſionis cùm Ariſtotele eſt notandum quòd humoris melancolici non eſt Lien receptaculum, ſed ex chilo ſuperfluitates remanſas, vel Chili craſſiorem & fæculentam partem, quam Chymum Philoſofi appellant, Lien attrahit, conuertitque in ſanguinem.

Qua ſtante doctrina, corpori ex Liene hoc modo mala contingunt: Vel etenim eſt debilis Lien, ſuum chymum attrahere vt non valeat, vel viæ ſunt obſtructę, tunc Chilo pertranſit ad Hepar permixtus Chymus, vnde perturbata Hepatis ſanguificatione, impurus ſanguis, multiſque ſcatens excrementis, vt gignatur, oportet. Adde præterea, quòd in partibus impuri ſanguinis multa coaceruata excrementa meatus opplent, quo minus ad illas bonus poſſit affluere ſanguis: hinc eſt quòd duo mala contingunt vt 9. de Vſu part. cap. 1. docet Galenus: primum eſt, vt partes ob ingenitam ſibi appetentiam aliquid ex ipſiſmet prauis ſuccis cogantur attrahere, vt Animalia famelica, quæ dum eſuriunt, lutum comedunt, vel aliud eiuſdem generis. Secundum eſt, quòd in partibus collecta excrementa, tandem putreſcunt, vndè acriora, & calidiora reddita *Inflammationes*, vt ibidem dicit Galenus, *Eryſipelata*, *Herpetas*, *Carbunculos*, *Febres*, *innumerabilemque aliorum morborum turbam exſuſcitant*.

At quoniam in duobus Philoſoficis principijs Concluſio hæc, eſt fundata, quorum primum eſt, quòd humoris melancolici non eſt Lien receptaculum: & alterum, quòd fæculentas ſuperfluitates ex chilo remanſas, conuertit Lien in ſanguinem; an idcircò hæc principia ſint vera, nunc declaremus. quare ſit.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

An Lien humoris melancolici ſit receptaculum.

LIENEM, humoris melancolici receptaculum eſſe, per medicorum ora, eſt iam vulgatum: attamen exactè ſi res conſideretur, veram Ariſtotelis, vnuſquiſque exiſtimabit ſententiam.

Galeni etenim opinio non paucis eſt inuoluta difficultatibus, & primo quia, in homine ſano quod melancolicus generetur humor, ſatis euidenter à multis reijcitur. Et pro ſe Hippocratem afferunt, qui in 4. de morbis, quatuor humorum fontes enumerat, & Cor, ſanguinis fontem eſſe decernit, felleam Veſſicam, Bilis; Cerebrum pituitæ; & Lienem, aquæ: non tamen Melancoliæ meminit naturalis, quia forte cum Philoſofis ille credidit, in homine ſano formaliter Melancoliam non gigni, ſed in ſanguinis parte craſſa, virtualitet illam, ſolummodo contineri.

Sed litigium hoc derelinquamus; & conceſſo gratis, quod ille gignatur; canalis tamen, per quem ab Hepate ad Lienem, humor hic tranſmittatur, clare demonſtrari ab Anathomicis vſque adhuc non potuit.

Nec eſt quod monſtres venã ſplenicam. Excrementá enim per eoſdem duci canales, per quos alimentum, ſanguis nempe, defertur, à Naturæ prouidentia, videtur valde remotum.

Adde præterea, quod Lieni ſatis euidenter deficiunt conditiones ad receptaculi rationem prærequiſitæ. Cauitatem namque.

Debet primo receptaculum habere, vt in inteſtinis, Veſica fellea, Veſica vrinaria, & Ventriculis cerebri manifeſte apparet: at Lien, vt illum videre eſt, cauitatem non habet: non ergo melancolici humoris, Lien eſt receptaculum.

Nec dicas, cauum ab Hippocrate dictum fuiſſe Lienem. Reſpondetur enim facile, ſi dicatur, quod receptaculi Cauitas debet eſſe in propio ſinu: at Lien cauus quidem eſt, ſed in ſui parenchimatis ſtructura, cum ſit veluti ſpongia, hinc ab eodem Hippocrate rarus, & ſpongiformis, fuit ipſe appellatus, quippe qui è Ventriculo ſugat aquam, quæ ſi immodica eſt, illa impletur, & turget: conſimilemque etiam, fuit nactum Hepar ſtructuram, hinc conſimili affligitur morbo: aquam enim ſi quis nimium bibit, ex inteſtinis exugit Hepar, & generatur Aſcites.

Eſt ſecundo, Receptaculum, ſuæ, proximum Officine: ſic Ventriculo inteſtina cohærent Hepati fel, & in Cerebri ſubſtantia eius

Ventri-

Ventriculi videntur exculpti: & ſi parum ab officina receptaculum diſtet, ſatis tamen conſpicui, ab officina ad receptaculum apparent canales. At Lien, quàm longiſsimè, & è diametro Hepati opponitur, nec tale deferens excrementum, clarus ab Anathomicis demonſtrari poteſt canalis.

Ac tandem circumferentiæ corporis proxima ſunt receptacula, vt collecta ibi excrementa poſſint extra expelli: vel ſaltem a receptaculis ad corporis circumferentiam manifeſtæ ſunt viæ, vt de bilioſo patet humore, qui in felle collectus, per patentes canales ad inteſtina, & ad veſicam detruditur, & vnà ſimul cum excrementis, & vrina eijcitur. At Lien, nec corporis circumferentiæ eſt proximus; nec ad corporis circumferentiam, vllos habet canales.

Sic ergo Ariſtotelis probata ſententia, ad ſecuudi principij veritatem iam tranſeamus. vnde ſit

ARTICVLVS QVARTVS.

An ex Chylo ſuperfluitates remanſas in ſanguinem conuertat Lien, & ab Ariſtotelis ſententia an Hippocrates diſcrepet.

SAnguificandi virtutem, ſoli Hepati conuenire, Medicorum Schola omnis, affirmat.

At cum Medicis non conueniunt Philoſofi, & cum eorum Principe Ariſtotele acriter defendunt, ex Ventriculo ſuperfluitates attrahere Lienem, & concoquere illas poſſe, vt qui ſanguineus ſit.

Quam ſententiam ex naturæ principijs, ſecretorum naturæ oculatiſſimus inueſtigator Ariſtoteles, ſic in 3. de partibus Animalium cap.7. quam perbelle expiſcatur.

Corporis diſpoſitio in dextrum, & ſiniſtrum bipartita cum ſit, omnia idcircò viſcera bipartita etiam eſſe, in cauſa eſt: vtrumque etenim latus ſimile ſibi viſcus expoſcit, quamuis tamen geminata viſcera eodem contineantur nexu. Sic bipartitum eſt cerebrum, immò & in eo vnumquodque ſenſorium: Cor ventriculis diſtinguitur: Pulmo in Ouiparis adeo dirimitur, vt ea binos habere videantur Pulmones. Renes ſunt bipartiti: ſed de Iecore, & Liene, non ita eſt manifeſtum.

In Liene tamen geminari Iecur Ariſtoteles aſſerit: & huius cauſam aſſignat: nam in Animalibus, quæ Lienem habere neceſſe eſt,

Lien

Lien ipſe quaſi Iecur adulteratum eſſe videtur: in ijs autem, quæ Lienem habere non eſt neceſſe, vel ſatis paruum,& notæ gratia, Hepar ad dextram partem, & ad ſiniſtram bipartitum apparet: immò & locis quibuſdam Lepores bina Iecinora habere videntur, quemadmodum in genere Piſcium, tum in quibuſdam alijs, tum in Cartilagineis, Hepar duplicatum apparet.

Confirmat hoc prætereà Ariſtoteles. Nam iſtorum Viſcerum Lienis nempè, & Iecoris eadem eſt natura, & eadem corpori afferunt iuuamenta. Sunt etenim ambo veluti Anchoræ aut Claui, quibus Venæ Corporis firmantur, quemadmodum funes,quibus Nauis Anchoris alligatur,aut Clauis extra aquam. Sic etiam, & ambo ſanguinea cum ſint, hinc calidam tum habeant naturam, iuuant ambo ad cibi concoctionem: hac tamen differentia habita: nam chylificati cibi puram ex Ventriculo Iechur attrahit partem,fæculentam attrahit Lien, concoquit, & craſſum ſanguinem, ex illa generat. *Lien enim,vt ibi Ariſtoteles dicit, Vapores vacantes diuertit, & attrahit ex Ventriculo,& concoquere eos poteſt, vt qui ſanguineus ſit.*

Quòd autem fæculentas ſuperfluitates concoquat Lien,non alio ad probandum Ariſtoteles vtitur argumento, quàm eiuſdem naturæ opere, & prouidentia. Ab hac etenim,ſatis exiguus,Animalibus illis conceditur Lien, in quibus per laxiorem carnem, aut pennas, & ſquamas, hoc excrementum tranſit, vt in piſcibus, & auibus eſt manifeſtum. Sic etiam Animalibus illis,exiguus à natura conceditur Lien, quæ Ventriculum adeo feruentem habent, vt in chylum ille omnem cibum conuertat, fæculentam non derelinquens partem, cuiuſmodi ſunt Milui,Accipitres, & Columbi.

Hinc Lienem per accidens conditum, Ariſtoteles dixit: nam vel feruidus ſit Ventriculus, vel in pennas, & ſquamas excrementum illud conuertatur, Lien non eſt per ſe neceſſarius, cùm eius officium ſit, fæculentas ſuperfluitates in chylo remanſas concoquere, & craſſum conuertere in ſanguinem.

Quæ Ariſtotelis ſententia à Philoſofis commentata, in hunc exprimitur modum; quòd nempè eſt Lien ſecundæ coctioni deſtinatum Viſcus, ex Chyli fæculenta parte, craſſum generans ſanguinem. ex Ventriculo prætereà hæc Chyli pars fæculenta, quæ Chymus dicitur, per Venas lacteas, vt Aſſelius fatetur, à Liene attrahitur,& attracta, proprio Parenchimatis calore concoquitur, & ſanguis generatur craſſus, qui poſteà per Venam portæ diffunditur, ob nutritionem partium, quæ coctioni ſunt deſtinatæ, cuiuſmodi ſunt omnia viſcera, quæ vena portæ nutriuntur, vt Ventriculus, Omentum,Pancreas, Inteſtina, & Hepatis pars caua.

SED ab Ariſtotelis ſententia, an Hippocratis diſtet Oraculum, maxima

maxima eſt difficultas. Ego autem, Hippocratis ſpeculatus doctrinas, quantum poterunt mei ingenij vires, cum Ariſtotele Hippocratem conciliari conabor. vnde ſic ſpeculatio incipiat.

Aſſerit primo de Liene Hippocrates, Fontem Aquę illum eſſe: vnde in primo de morbis muliebribus de Potu loquēs ſic dixit, *Quod in Veſicam penetrat, per vrinam eijcitur: reliquam vero Splen capit, abſtrahens à Ventre ad ſe ipſum, vt qui rarus eſt, & ſpongiſor mis, & ſecundum ventrem ſitus.*

Aſſerit præterea Secundo in 4. de morbis ad Lienem non Aquam tantummodo adire, quemadmodum ad felleam veſicam, ob paruitatem venarum eius, ſola penetrat bilis: è contra eſt autem, in alijs humorum fontibus, Hippocrates dicit, Cerebro nempe, Corde, & Splene; vnde ſic ibi concludit; *Trahunt autem & de alio humore venæ in ſeipſas amplæ & inſtar pampini retortæ exiſtentes, ita vt vbi trahant, alius humor alium ſequatur.*

Quibus ſtantibus doctrinis Hippocratem ad Philoſoficam vt traham ſententiam, ego ſic Argumentor.

Lien ex Ventriculo trahit Aquam, nec ſolam Aquam, ſed cum illa alium trahit humorem, vt Hippocrates dicit: At in Ventriculo, chilificationi cum ipſe ſit deſtinatus, non alius humor, quam Chylus reperitur, & Chymus: & per naturalem Sympathiam attrahitur Chylus ab Hepate: ergo Chymus remanet tantummodo attrahendus à Liene: qui poſtea attractus, & concoquatur, & in ſanguinem neceſſe, eſt vt vertatur: ne forte fruſtratoriam, & vanam eſſe, Naturæ hanc actionem Chymum nempè à Liene attrahi, tu dicere velis.

Confirmatur præterea, quod à Liene præter Aquam in Hippocratis ſententia, materia hæc fæculenta ex Chylo in Ventriculo remāſa, etiā attrahitur. Nam in tex. alleg. primi libri de morbis muliebribus, de Aqua inter Cutē loquens, hæc verba habet Hippocrates „ *Et ſi his ſic habentibus, non exudarit, neq; aluus laxetur, ab hoc ſplen attollitur*: quaſi dicere velit diuinus Hippocrates, quod ſplen attollitur, quando nimius potus per ſudorem non habit, & materia fæculenta per aluum; non enim congrue per aluum expellitur aqua, ſed fæculenta ſolum materia, quæ debili exiſtente Liene per aluum eijcitur, quemadmodum debili pariter Hepatis attractrice facultate exiſtente, aut etiam Concoctrice, alui fluxus contingit.

At Quæres. Craſſiori generando ſanguini, à Natura deſtinatus, dum fuit Lien, cur illum (ſi Hippocrati credimus) Aquæ Fontem eadem conſtruxit Natura?

Dicerem ego, amicos ſcientiarum Principes iſtos vt cōſeruarem, quòd duplicem ob vſum, fontem Aquæ, Lienem natura conſtituit: primus eſt, vt feruentem Lienis calorem, Aqua attemperaret: Secun-

H dus

dus verò, craſſum in Liene genitum ſanguinem, vt fluidum redderet.

Cuius duplicis vſus, ex naturalibus principijs, ſic ratio poterit expiſcari.

Lien, quia fæculentam Chyli partem conuertere debebat in ſanguinem, feruenti idcircò indigebat calore: & ſic a corde, quod eſt fons caloris, per arterias ſpirituoſum continentes ſanguinem, caloris feracem, partibus ſi comunicatur calor, feruentiſſimum Lieni, vt concederet natura calorem, ferè quintuplo maiores, quàm reliquis corporis partibus Lieni arterias, natura ipſa conceſſit.

Præterea quia generandus in Liene ſanguis ad nutrimentum partium coctioni deſtinatarum, deſtinatus erat, calidior idcircò eſſe debebat, quam ille in Hepate genitus: & ratio eſt, nam coctio fit per vim caloris, vndè partes, quæ coquunt calidæ eſſe debent, calidoque nutrimento nutriri: hinc oportuit conſequenter, non aliam huius ſanguinis eſſe poſſe materiam, quam Chyli fæculentam partem; nam hæc, maioribus cum ſcateat fibris, quàm ipſe Chylus, calidior ex illa in Liene generatur ſanguis, quàm in Hepate ex Chylo. & huius ratio eſt, nàm ſanguis ex Ariſtotele ſui natura eſt frigidus, per accidens verò calidus, hoc eſt per participationem à ſpiritibus, qui ſunt in illo: at eorum, quæ per participationem ſunt calida, eò illa ſunt calidiora, quò magis ſicciora ſunt, & craſſiora: ſed fibræ, terreæ cum ſint naturæ, cumque Elementorum omnium, ſicciſſimum & craſſiſſimum Elementum ſit Terra, & cùm ſanguis lienaris hepatico ſit magis fibroſus, ſequitur ex conſequenti, quòd ſanguis lienaris hepatico ſit magis calidus, vtpotè quia eſt magis craſſus, & ſiccus.

Collige ergo ex his, Aquæ in Liene duplicem vſum. Et primus eſt, vt tanti caloris in Liene, Aqua attemperaret feruorem, ne forſan, vt in longo ieiunio contingere poteſt, ſi hęc materia fæculenta deficiat, Lien ex maximo calore exardeſceret; hinc vel propriam carnem, vel vicinas partes combureret. Ad quem conſimilem vſum, Aquam in Pericardio natura poſuit, Cor præ nimio calore, ne fortè igneſceret.

Et ſic alium præterea, Aquæ in Liene colligas vſum. Nam in Liene genitus ſanguis quam maximè craſſus cùm eſſet & ſiccus, ad nutriendas partes vt flueret, quam maxima indigebat aqua, eius adhoc vt eſſet vehiculum. Ad quem pariter conſimilem vſum, ſeroſa humiditas cùm hepatico permeat ſanguine, quæ deinde ad renes tranſcolat, & per veſicam eijcitur.

HIS ERGO de naturali corporis ſtatu, ſecundùm Philoſofica principia ſic conſtitutis, duabus illis Concluſionibus ob quas difficultates iſtæ motæ fuerunt, iam facilis eluceſcit Reſponſio.

Hepar & Lienem, morborũ omnium eſſe cauſas, in prima diximus Concluſione; at verè ſecundum antedicta ſi nos philoſofemur, Con-

concluſio-

cluſionis huius euidenter, veritatem inueniemus.

Ex rebus enim nonnaturalibus, (morborum, vnico verbo, antecedentes omnes, vt comprehendam cauſas) Hepatis, aut Lienis primarum qualitatum tollitur Symetria: hinc fit, vt talium viſcerum facultatibus læſis, mille malorum exoriantur torrentes. Vel enim particulari intemperie intemperatum eſt Hepar, particularis ferax humoris, & ſic particulares generat morbos: vel debiles ei us ſunt facultates, & tunc ſuo munere illud fungi non poteſt: vel obſtructæ ſunt Lienis viæ, & ſic Chylo, fæculenta pars admiſcetur, & vitioſus gignitur ſanguis ad putredinem aptus: vel eiuſdem Hepatis ob inflammationem, aut obſtructionem, aut aliam cauſam, occluſæ ſunt viæ, adeò vt excrementa ad proprios meatus non poſſit expellere, & ſic ſanguini admixta, vt illa permeent eſt neceſſe; quæ deinde membris cum non poſſint aſſimilari à Natura, fit idcircò, ad illa expellenda, meatus ſi non habeat Natura opportunos, vt propter foraminum obſtructionem priſtina perſpiratione retenta, & grauata iam ſuccumbente Natura, tùm ſanguinis excrementa, tùm ſanguis ipſe putreſcat, *Calida namque & humida corpora calido loco congregata, putreſcunt facilè, ſi non euacuentur, neque refrigerentur*, vt in lib. de tumoribus præter naturam docet Galenus: & generaliter quæ non difflantur putreſcunt, vt de Veſtibus patet, fructibus, & ſeminibus ex eodem Gal.2.de different. febr.cap.9.

Ex Liene præterea, corpori grauiora mala contingere, Secunda fuit Concluſio: quam clariſſimè nos probabimus, Hippocratis de malignitate ſi notemus ſententiam.

Aſſerit in 4. de ratione vict.in morb.acut. tex.31. Hippocrates, in humorum nitroſitate malignitatem conſiſtere nam ex nitroſa fluxione tùm acri, tùm calida à capite ad iugulares defluxa venas, mortalem exoriri Anginam ibi fatetur.

Qua ſtaute doctrina, propoſitum concluditur facilè, nàm aliqua, ſi quantò magis ſunt fæculenta, & craſſa, tantò magis ranceſcunt, & fiunt nitroſa, ex eo quòd Nitrum de fæcibus naſcitur; non immeritò itaque ſequitur, Lienaris ſanguis hepatico ſi craſſior eſt, & fæculentior, quòd dum ille corrumpitur, magis rancidus fiat, magiſque nitroſus, hinc ineuitabiles, vel magis mortales ex eius putredine, generentur affectus.

Adde præterea, quòd ex Lienari ſanguine maior Atræbilis copia gignitur, quàm ex Hepatico: & ratio eſt euidens, nam ſanguis hepaticus, ex Galeno, dum corrumpitur, eius pars tenuis tranſit in bilem, pars craſſa in atram bilem: at lienaris ſanguis cùm totus ſit craſſus, totus in atram bilem conuertitur: ergo ſi ex atra bile ineuitabiles, & mortales generantur morbi, vt communis Medicorum

Schola affirmat,ex Liene affecto, corpori grauiora contingere malá, eſt concludendum.

Sed Philoſoficos iam, derelinquamus rigores, & Medicina ſi Philoſophiæ ſubalternatur „ *Bonum* etenim *Medicum optimum oportet eſſe Philoſofum*, vt fatetur ipſe Galenus, vniuerſalia idcircò principia ex Naturali ſcientia deſumpſiſſe ſufficiat: nunc autem in poſterum,nec in particulari morborum generationis aſſignanda Methodo, nec in illos curando, ne tantillum quidem ab Hippocrate, & Galeno recedam: nam Philoſofus vbi deſinit, ibi incipit Medicus.

Verùm de Hepatis inflammatione clarior noſtra, vt eluceſcat Oratio, morborum omnium generationis particulares modos nunc oſtendamus, vnde ſit

ARTICVLVS QVINTVS.

Quo modo generentur omnes affectus.

Ex Galeni principijs, hac de re, varijs regiſtratis in locis, huic quæſito,talis efformetur Reſponſio.

Sanguinis éxcrementa,vel dicam humores: (vt Medicus enim ſi loquor, Medicorum vtar vocabulis,) Humores, inquam, in parte aliqua, cùm ſunt coaceruati, vel ad partem transfuſi, vel in eadem geniti parte; tunc vel quia non diflantur, vel quia a natura non dominantur, vt putrefiant neceſſe eſt. At quoniam a calido extraneo fit putredo, calidiores idcircò putreſcentes fiunt humores: hinc per partem poſt partem, in putreſcentibus humoribus accenſa illa caliditas cordi comunicatur, & ſic accenditur febris.

Non tamen vnius modi accenſam febrem ſemper eſſe, tu credas: nam prima ſui diuiſione,ſi materiam in qua accenditur,ſpectes; cum in viuente corpore, hæc materia ſit triplex, ſpiritus nempè,humores, & partes ſolidæ, in tria genera febris diuiditur: Diaria,eſt primum genus, in ſpiritibus quæ accenditur: Putrida, Secundum, quæ in humoribus: & Hectica, Tertium, quæ in partibus accenditur ſolidis.

At quoniam humores ſunt quatuor, nec ſemper in eodem putreſcunt loco, in varias idcircò ſpecies febris Putrida ſubdiuiditur.

Ratione loci, primam recipit febris putrida diuiſionem. Nàm vel extrà venas putreſcunt humores, & ſic Intermittentes generantur

tur febres, quæ triplicis ſunt differentiæ, iuxta triplicem putreſcentem humorem, qui extrà venas poteſt putreſcere: à Pituita enim quotidiana exoritur, à flaua bile Tertiana,& a bile nigra Quartana. non datur quarta a ſanguine; nàm grumeſcit ſanguis non putreſcit, quando eſt extra venas.

Vel intra venas putreſcunt: & tunc vel putreſcentes humores in tanta ſunt copia, vt ſuis non contenti limitibus, foras etiam exudent, & ſpatia, quæ inter vaſa ſunt occupando, partem in tumorem attollant: vel proprijs continentur in locis: & ſic cùm intra venas putreſcant, febres generantur continuæ.

Verùm quia ex antedictis quatuor ſunt humores, in quatuor idcircò ſpecies, continua febris dirimitur.

Vel enim primò efferueſcit, aut putreſcit ſanguinaria maſſa & tunc febris continens, ſeu ſynocus excitatur; quæ circuitu caret, cùm nulla corporis pars ſit præcipuè offenſa, ſed in omnibus venis, & arterijs præſertim maximis, aut feruidus eſt, aut putridus ſanguis vt 2. de differ. febr. cap. 11. faretur Galenus. Quæque febris triplicis eſt differentiæ: vel quæ à principio vſque ad finem in ſtatu perſeuerat eodem, & Homotona dicitur: vel quæ paulatim augetur, & Epacmaſtica vocatur: vel quę paulatim decreſcit, & hæc Paracmaſtica nominatur.

Vel ſecundò intra venas putreſcit bilis, & ex hac, continua febris quæ oritur, Tritæophies à Galeno appellatur, hoc eſt tertianarum naturam referens.

Vel tertiò intra venas pituita putreſcit, & Quotidiana continua gignitur. Sic denique intra venas ſi putreſcit melancolia, Quartana continua generatur.

At quia ex ſimplicibus humoribus putreſcentibus, ſimplices febrium oriuntur ſpecies, ex illis pariter complicatis, complicatas febres nos dicimus generari: quæque in tot diuiduntur differentias, quot modis vel ad intra, vel ad extra venas, vel coniunctim in eodem die, vel diuiſim in alia, putreſcentes complicari poſſunt humores: & ſic vel Tertiana continua, & Quotidiana continua complicabuntur: vel Tertiana continua, & Quartana intermittens: vel alijs modis, vt per illos diſcurrenti patet: ex quibus autem complicationibus, nulla febrium complicatio particulare habet nomen, Hemitriteo excepto, qui compoſita febris eſt ex Tertiana intermittente, & Quotidiana continua, hinc à Galeno ſemitertiana etiam dicitur, nam ex ſemitertina & ſemiquotidiana conſtat, quemadmodum ſemideus, ex ſemihomine dicitur, & ſemideo.

Ex putreſcentibus denique humoribus, qui extra vaſa erumpentes, partem in tumorem attollunt, febres etiam generantur

continuæ

continuæ, quæ ex Gal.10. Meth. cap.6. in comuni putredinis genere comprehenſæ intelliguntur, & putreſcentium humorum inſequuntur naturam.

Sic prætereà quatuor cùm ſint confluentes humores, quatuor pariter Tumorum exoriuntur ſpecies. Ex ſolo enim fluente ſanguine inflam natio naſcitur, quæ varias ob corporis partes, quibus poteſt contingere, varia ſortitur nomina: attamen ſupra modum ſi efferueſcat ſanguis, & aſſetur, ita vt eius pars craſſa, in confinio ſit atræ bilis, carbunculi ex illo generantur, vt ſecundo de differ.febr.cap.9.aſſirmat Galenus. Ex bile prætereà Eryſipelas producitur, quod ſolius cutis. cum ſit paſſio, & tunc vel bilis eſt craſſa,& ſic exulcerat cutem vſque ad carnem ſuppoſitam, & Herpes exedens ab Hippocrate dicitur: vel bilis eſt tenuis, & ſic per ſummam cutem, puſtulæ milijs ſimiles excitantur, & Herpes dicitur miliaris, vt 2. ad Glauc. cap. 1. docet Galenus. Ex Pituita tenui œdema gignitur: ex craſſa verò,& glutinoſa, Scyrri efficitur ſpecies vna, nam altera à ſanguinis fæce producitur, quæ nigra bilis etiam dicitur, non autem ab atra, nam hæc efficit Cancro, vt in Libro de Tumor. cap.9. ex Galeno habetur.

Non tamen credas, ad quemcumque tumorem neceſſariò inſequi febrem: nam vel in parte ignobili, & à corde longinqua, humor putreſcat, nec poſſit vſque ad cor eius calor pertingere: vel adeo putreſcentis in parte humoris, exigua eſt portio, vt cordi non valeat communicare calorem: vel humor de ſui natura eſt frigidus, qui cum putreſcit, vel pauco eſt contentus calore, quomodocunque ergo ex his modis dicatur, ad quemcunque tumorem, non neceſſariò ſequitur febris.

Sed Orationis, iam reſtringamus filum, & de Hepatis inflammatione agentes, alijs derelictis affectibus, ad inflammationem in communi, & ad eius cauſas, noſtrum dirigamus ſermonem; his enim cognitis, tam Hepatis inflammationem, quam eius cauſas, facilè cognoſcemus. vnde ſit

ARTICVLVS SEXTVS.

De inflammatione in communi, & eius cauſis.

QVANTVM ad primum. Eſt inflammatio, ſeu Phlogoſis, aut Phlegmones (dicas illam vt velis) Tumor præter naturam, cum calore, rubore, pulſu, & dolore.

Cuius diffinitionis rationem aſſignare difficile non eſt. Ad partem enim ſi affluit humor, iure optimo, in tumorem illam attollit. Coaceruati

ceruati in parte ſucci, putreſcere incipiunt, & ſic præter naturam accidit calor ex partis deinde immoderato calore rubor exoritur, vt 3. de fracturis cap. 8. dicit Galenus: ac tandem ex oppletione pulſus naſcitur, & ex pulſu dolor cauſatur: percutit enim arteria cum dilatatur, quæ circum corpora ſunt, & ſic propter inflammationem, percuſſione dolemus.

Quantum ad ſecundum, triplicem dicimus, Cauſam, cuilibet etiam morbo exfluxione communem, quòd inflammatio agnoſcit: vel ſcilicet partis robur, & vigorem: vel partis imbecillitatem: vel vtrumque. Hoc enim triplici modo extraneum coaceruatur in parte. hinc

Prima inflammationis Cauſa eſt Partis robur & vigor: valida namque, & robuſta pars ſuperfluitates in ſe genitas, vel ad ſe ab alia parte tranſmiſſas, à ſe ad partes imbecilliores expellit, vt Cerebrum e.g. cum grauatur, vel ad oculos, vel ad aures, vel ad gingiuas, aut ad alias vicinas partes ſe exonerat; quæ ſi imbecillæ non ſunt, ad thoracem, vel ad pulmonem, vel ad fauces, vel ad ſtomacum fluxio delabitur vt 2. de differ. febr. cap. 11. teſtatur Galenus.

Secunda Cauſa Partis eſt imbecillitas, à qua ſuperfluitates trahuntur.

Huius autem Attractionis, duplex ponitur Cauſa, Partis nempe Caliditas, vel Partis Dolor.

Quo autem Calor attrahat, Exemplo, Galenus probat, de membro poſito iuxta ignem, vel fortiter fricato, aut aliter medicamentis calidis, quod ſtatim in tumore attollitur: quoniam vt in textu allegato 2. de differ. febr. dicit Galenus, *Caliditas ſua natura apta eſt fluxiones attrahere, aut eaſdem recipere.*

Dolor præterea, quod ſuperfluitates trahat, exemplo etiam probat Galenus, de illo, cui Acus extremam digiti partem pupugerit, quæ paulo poſt in tumorem, eleuata conſpicitur.

Tertia denique Cauſa, vnius Partis eſt Vigor, & alterius imbecillitas. Quod enim à forti parte expellitur, ſtatim ab imbecilla recipitur.

QVO etiam modo (ſit obiter hoc explicatum) in febribus Acceſſionum fiunt Circuitus. Ad imbecillam etenim partem, membrum forte ſuperfluitates expellit, vel quia illæ vitioſæ ſunt, aut multæ: vel quia ad illas concoquendas, impotens eſt eius facultas. In parte poſtea imbecilla, quæ Putredinis focus eſt, putreſcunt humores, & accenditur febris. Reſoluta denique illa minera, vel paucis remanſis reliquijs, ſi non amplius à forti membro ad imbecillam partem tranſmittuntur ſuperfluitates, iam febris finitur: è contra autem de nouo ſi illæ tranſmittantur, de nouo accenditur febris.

Nec

Nec tamen repetere Acceſſiones credas, ex ſolo membro, ad Putredinis focum, ſuperfluitates mittente: nam poſſunt Acceſſiones redire, eſto ad partem imbecillam membrum forte, ſuperfluos, non transfundat humores, ſed ratione ſolummodo ipſiuſmet imbecillæ partis: & hoc duplicem ob cauſam: Vel enim putrefacti adhuc humoris pars imbecilla reliquias continet, ad quas etiam ſãguis, pro partis alimento accedens, corrumpitur: Quod tangitur enim à putrido, efficitur putridum. Vel denique adeo partis potentia eſt debilitata, vt alimentum ſibi aduenięns, alterare non poſſit: quod deinde inalteratum remanens, meatus opplet præ multitudine; hinc prohibita perſpiratione, putreſcit: & ſic ob vtramque cauſam Acceſſio redit.

Collige tandem ex dictis (ad noſtrum reuertentes propoſitum) quæ ſit Hepatis inflammatio, & quod ex iiſdem tribus cauſis, cuilibet inflammationi, communibus, poteſt illud inflammari.

At in prædicto languente, inflammationis Hepatis quænam fuerit cauſa, ſi quæras; illam proculdubio dicerem ego, non aliam fuiſſe quam Hepatis caliditatem adauctam, tum ex generoſo vino, tum ex ſuillis carnibus, tum ex laboribus, ac tandem ſub æſtiuo, ardore tum ex continuo per multos dies, itinere. Has autem procatarthicas Cauſas, immoderatam in Hepar poſſe inducere caliditatem, ſuperfluum demonſtrare exiſtimo, cum hæc, ſexcentis in locis in Galeni libris, legantur. quamobrem ad Hepatis inflammati ſigna me transfero.

Verum, in apparentibus partibus, quãdo eſt Inflammatio, ex eiuſdem patientis membri tumore, calore, rubore, pulſu, & dolore, ſigna ad ſenſum ſi ſunt manifeſta: è contra autem in occultis Viſceribus, quando phlegmones adeſt, æque facilis non eſt cognitio, ſed mente indiget perſpicaci, cum languentis membri naturam ex 2. ad Glauc. cap. 1. cognoſcere oporteat. Hepatis propterea inflammati ſpeculantes nos ſigna, Hepatis primo cognoſcamus naturam: vnde ſit

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Hepatis quam breuiſſima explicatur Anathomes.

EST Hepar, vt 4. de Vſu part. à cap. 12. infra docet Galenus, veluti craſſus coagulatus ſanguis: ex eo quod ſanguificationis debebat eſſe Principium. Paruus neruus in gibba parte, fere ſubtus cutè, illi inſeritur, ſenſus omnino expers, ne eſſet. Ex Ventriculo ad eius ſimas partes, Chylum deferentes, multæ in vnum vnitæ, adueniunt

venæ;

venæ; quæ Hepatis ſubſtantiam ingreſſæ, in quamplurimas, illaſque tenues diſſeminantur: vnus nanque, & magnus venæ ſi fuiſſet ſinus, Iecoris nec minimam carnis partem, attigiſſet vtique Chylus, hinc perfectè in ſanguinem conuerti non potuiſſet: moram ergo hæc chyloſa materia, in Hepate vt faceret, per tot tantaſque exiguas venas, difficilem illi tranſitum, comparauit natura.

Coctio præterea ſi fit à calore, vna ſimul in hac ſima Iecoris parte cùm venulis, arteriolas natura eadem collocauit; quippe quæ per ſpiritus, à corde comunicarent illi, calorem.

Poſt deindè venulas iſtas, & arteriolas, meatus ſequuntur, bilem excipientes; ab excrementis nempè, vt purgaretur ſanguis: qui tandem expurgatus, à ſolis venis in gibba Hepatis parte exiſtentibus, tranſumitur, quæ in vnam magnam coeunt venam, quæ Caua dicitur: & hæc ab Hepatis gibbo exorta inſignes quoſdam ramos ad ſeptum tranſuerſum diſſeminat, paruas autem ad inferiorem thoracis partem. Eleuatur prætereà Vena iſta ad Cor, à corde ad collũ, & ibi in duas ſcinditur inſignes Venas, quas Iugulares vocant, à quibus tandem, & alijs ramis, ſuperiorum partium ſit nutritio.

Per hanc denique Venam Cauam, Diaphragmati coniungitur Hepar, Ventriculo, & Inteſtinis: nec tantummodo per illam, ſed Ventriculo, & inteſtinis, per tunicam colligatur, quæ ipſi pro tegmine eſt, à Peritonæo exortam. Diaphragmati verò per vinculum ligatur, quod tam a tunica, quæ infernè ſuccingit Phrenas, quàm ab illa quæ circumambit Hepar, exoritur; quas ambas ex Peritonæo ortum ducere, nos cum Galeno affirmamus. ſed plura de Hepatis Anathome, ſcire ſi cupis, Anathomicos quære.

Hepatis ergo cognita natura, inflammationis eius tùm ſigna, tùm ſignorum cauſas, facilè nunc inueniemus. quare ſit.

ARTICVLVS OCTAVVS.

De ſignis Hepatis inflammati.

PRimum ſignum, quòd à Galeno ponitur in 5. de locis affectis c.7. eſt in dextro Hypocondrio grauitas. cuius ſigni eſt euidens cauſa. In dextro nanque Hypocondrio reſidet Hepar, hinc coacernatæ in illo ſuperfluitates, grauitatem vt inferant, eſt neceſſe.

Secundum ſignum eſt dolor, totum Hypocondrium retrahens, quique ad Iugulum vſq; ſe nonnunquã extendit; nonnunquam verò ad coſtas vſq; nothas. Quorum omniũ ratio, ex antedictis colligitur facilè. Ex ſanguinis etenim multitudine Hepatis diſtenduntur partes, hinc continuum ſoluitur, & dolor cauſatur, qui totum Hypo-

condrium retrahit. Extenditur prætereà ad iugulum vſque nonnunquam dolor; vel quia per venas, nimius in caliditate intemperatus transfunditur ſanguis, quæ caliditas in illis partibus, dolorem parturiat: vel quia diſtentis multum Hepatis partibus, retrahuntur etiam iugulares, & ſic ad iugulum vſque extenditur dolor. Conſimili pariter modo, ad coſtas vſque nothas nonnunquam dolor expanditur, cum per membranas coſtis nothis ſit Hepar coniunctum. Quòd ſi dicas, nō in omnibus Hominibus per membranas coſtis nothis coniungi Hepar, vt non in omnibus Simijs, alijſque Animalibus, eſt hoc expertus Galenus. Sed Reſponſio eſt facilis: nam vt ſic, vel non in omnibus Hominibus ſignum hoc eſt perpetuum, vt dicit idem Galenus: vel ſi dicas, perpetuum: ad Venæ ramum recurrimus, qui à Vena Caua propagatur; & quo, nothæ coſtæ nutriuntur: ac eodem modo, vt in dolore expanſo ad iugulum, rationem nos aſſignamus.

Tertium ſignum eſt exigua tuſſis. Diaphragma namque, quod reſpirationis eſt inſtrumentum, Hepate patiente, compatitur, cùm per Venam Cauam, Diaphragmati ſit Hepar coniunctum.

Quartum ſignum eſt difficultas ſpirandi. In ſecundo enim de locis affectis cap. 9. Galenus aſſerit, quod Hepate inflammato, ſeptum tranſuerſum ob viciniam opprimitur: hinc quia illud reſpirationi inſeruit, difficultas reſpirandi contingit.

Quintum ſignum eſt linguæ color, in principio ruber, deinde niger. Cuius non alia eſt ratio, quàm quòd venæ diſſeminatæ in lingua, vt ex Galeno in lib. de diſſectione venarum, & arteriarum cap. 7. habetur. Iugularis venæ ſunt rami; quæ Iugularis vena, Venæ Cauæ eſt propago: hinc meritò in Hepatis inflammatione, linguæ color eſt primò ruber, cum in inflammationis principio, ad has venas feruidus tantùm demandetur ſanguis: at inflammatione adaucta, aduſtus, & niger ſanguis, cum transfundatur ad illas, niger deuenit linguæ color.

Sextum ſignum eſt ingens nauſea, & cibi faſtidium. Et huius ſigni, in Hermocratis hiſtoria 3. epid. ſect. 1. com. 13. his verbis rationem aſſignat Galenus „ *Eſt Iecur principium Vegetatricis, & Naturalis Animæ, cuius oſtenſum eſt quatuor eſſe virtutes, attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem, quæ ſuppeditant corporibus, & nutrimentum, & augmentum: & hac affecta mirum in modum appetitus perit, vt mori citius, quàm guſtare quicquam ſuſtineant ægri.*

Septimum ſignum ſitis eſt inexauſta. hæc nanque ardentium febrium eſt proprium ſignum: & ad Hepatis inflammationes, febres conſequuntur ardentes.

Octauum ſignum eſt bilis vomitus, quæ primo ſincera euomitur; mox vitellina, deinde æruginoſa. inflammato etenim Hepate, ad

felleam

felleam veſicam, bilis tranſitus impeditur, hinc illius pars aliqua, ad os ventriculi regurgitans, ſincera primò eijcitur, ſecundò vitellina, & tertiò æruginoſa; ſecundùm quòd ſanguinis inflammatio augetur, & bilis maiorem, & maiorem aduſtionem acquirit.

Nonum ſignum eſt Aluus adſtricta, Ignefactum nanque Hepar, excrementa comburit; vt 3. de morb. vulg. ſect.1.com.5. ex Galeno habetur; hinc adſtringitur aluus: è contra autem ſi cùm Hepatis inflammatione imbecillitas concomitatur, aluus redditur mollis, vt 5. de locis affect.cap.7.docet idem Galenus.

Decimum ſignum eſt ſingultus. Per tunicam enim, quæ Hepati pro tegmine eſt, & per Venam Cauam, Ventriculo cum coniungatur Hepar, vt compatiatur idcircò ſtomacus, & ſingultus accidat, Hepate patiente, neceſſe eſt: non tamen ad leuem Hepatis paſſionem, ſingultum ſuperuenire in 6.aph.com.16.Galenus aſſerit,ſed ſolummodo, fortiter cùm patitur Hepar.

Vndecimum ſignum eſt partium extremarum frigiditas, & aliquando illarum liuor: quæ ſigna mortalia ſunt vt in 3. epid. ſect.2. ægroto 8.docet Galenus: Calorem etenim adeò exurentem arguūt, vt ad ſe,ex toto corpore ſanguinem trahat, per modum Cucurbitulæ;hinc propter defectum ſanguinis,externa frigent,& interna vrun-tur, ita vt neque tegumenta tolerent, propter incendium, quod in viſceribus ſentiunt,vt 7. aph.1. fatetur idem Galenus.

Duodecimum denique ſignum, eſt Morbus Regius. Recluſis nanque ex inflammatione meatibus, per quos ad felleam veſicam bilis transfunditur, illa idcirco non expurgata, vna ſimul cùm ſanguine per totum corpus, vt deferatur neceſſe eſt, hinc morbus Regius generetur.

Dices, quod non inflammationem tantummodo Morbus Regius agnoſcit pro cauſa, ſed vel Criſem, vel Scyrrum, vel obſtructionem: ergo in prædicto languente morbum regium, Hepatis non neceſſariò inflammationem arguere, eſt concludendum.

Sed puerilis, ſoluitur facilè,hæc difficultas. Non enim in patiente aſſignato, Criſim potuit primò, morbus regius arguere: nam tertia die æger ille ictericus factus eſt, & *ante ſeptimam* vt 4. aph.com.62. dicit Galenus, *Indicatoriè bilem effundi eſt impoſsibile*. Non ſecundò illius regij morbi fuit cauſa Scyrrus: nullus enim in dextro Hypocondrio antiquus conſpiciebatur tumor. Non denique obſtructio: nam hæc à craſſis & viſcoſis dependet ſuccis, & vel paucam, vel nullam ſecum affert febrem: at in languente febris erat acuta, virtus proſtrata, ſitis inexauſta, extremorum ſubfrigiditas, æſtuatio, difficultas ſpirandi,& alia huiuſmodi; quæ ſigna ex obſtructione proue-

nire poſſe, ſi quis dixerit, tanquam inſanus, & mente vacuus eſt irridendus.

Dices iterum. Si omnia allegata hæc ſigna Hepar arguunt inflammatum, in tali ægro, cùm non omnia hæc ſigna ille habuerit, inflammatum fuiſſe Hepar, non benè concluditur.

Sed facilè nos reſpondemus, prædicta ſigna, aſſerentes, non omnia Hepar habere, in quantum quòd ipſum eſt inflammatum, ſed in quantùm quòd cùm alijs coniungitur partibus: nec ad compatiendas vicinas partes, leuis quæcumque Hepatis requiritur affectio, ſed vt illa ſit fortis, neceſſe eſt; quemadmodum de ſingultu eſt ſupradictum. Sic pariter, Hypocondrij tumor, inflammati Hepatis neque eſt neceſſarium ſignum: nam fieri poteſt, vel vt abdomen ſit craſſum, quòd poſteà ex morbo gracile ſit, & tumor apparet, ſicut 5. de loc. affect. cap. 7. notat Galenus: vel quòd inflammatio ſit leuis: vel tandem quòd illa ſit in cauis Hepatis partibus, quæ paulatim deindè ad partes gibbas extenſa, in tumorem, Hypocondrium attollit, vt ex Galeno affirmatur in 3. epid. ſect. 1. com. 5. Adde, quòd neque Hypocondrij dolor eſt neceſſarium ſignum, in cauis Hepatis partibus quando eſt inflammatio: nàm ibi nullus eſt neruus, ſed Hepati propè cutem in gibba parte, paruus neruus inſeritur à natura. quamobrem in Epidemiorum loco allegato, linguas ſolam aduſtionem, & modum febris, hoc eſt febrem acutam, Hepatis ſignificare inflammationem, concludit Galenus.

Ad difficultatem ergo, reſponſionem collige ex his; quòd nempè omnia ſigna quamuis æger non habuerit, neceſſaria tamen quæ inflammatum arguunt Hepar illi, non defecerunt, linguæ ſcilicet aduſtio; (tria etenim ferè verba proferre non poterat, os niſi primò oblueret:) & febris acuta: quam acutam fuiſſe, tùm ex ſupradictis ſymptomatibus, tùm ex manuum, & oris tremore, qui à principio illum inuaſit, & febris acutæ eſt ſignum, in Pithionis hiſtoria 1. in 3. epid. vt notat Galenus, dubitare non licet: & ſcrupulus aliquis hac de re ſi alicui remanet, acutiei febris, in decimatertia die ægrum perire, fidele, erit mors, teſtimonium. ſed ad inflammati Hepatis prognoſticum, nunc tranſeamus.

ARTICVLVS NONVS.

Hepatis inflammati Prognoſticum.

PArtis cuiuſcumque inflammatæ, generale Prognoſticum in 6. Epid. ſect. 2. com. 14. à Galeno aſſignatur, vbi diuidens membra

bra in ſuperiora, & inferiora, aſſerit quòd ſuperiora membra, ſi ſunt inflammata, vt Cerebrum, Guttur, Gula, Pulmo, Pectus, aut Cor, tunc mortifera eſt ægritudo: at infrà Iecur, ſi Membra inflammantur, pauci pereunt, ſi benè fuerint curati.

Hinc & de ipſo Hepate inflammato præſagiens, ipſius connexum inflammatum, eius concauo longe periculoſius eſſe, affirmat, cùm pars conuexa à multis, vt ipſe ait, inter ſuperiores reponatur partes, quemadmodum & os ventriculi; concaua autem, inter inferiores.

Verùm in quacumque Hepatis parte ſit inflammatio, vrina ſi eſt lethalis, mori ægrotantem, in 3. epid. ſect. 1. com. 6. docet Galenus: & maximè ſi vires ſunt imbecilles: nam vna ſalus pleuriticis, peripneumonomicis, ſynanticis, & quibus Iecur, vel Ventriculum phlegmone obſidet, eſt virium robur, vt 10. meth.cap.5. affirmat idem Galenus. At ſufficienter de his ſi diximus, iam conuocat nos curatio.

ARTICVLVS DECIMVS.

De inflammati Hepatis curatione.

CVRATIO, cùm per contraria fiat, in vniuerſum ſic inflammatio curatur.

Ex ſanguinis influxu, copioſioris quàm membri natura requirat, Phlegmones cùm generetur, vna proindè omnibus inflammationibus, eſt indicatio communis „ *Vacuatio nempè redundantis in particula Phlegmone obſeſſa, ſanguinis*, vt 13. Meth. cap. 2. arbitratur Galenus: & Cap. 9. dixit „ *Momentum omne curationis, laborantis Phlegmone partis, in redundantis in ipſa ſanguinis vacuatione conſiſtit*.

Euacuandus eſt ergo ſanguis. Sed qua menſura, & quo in loco ſi quæras? Menſuram, nos reſpondemus, quòd languentis temperies, Anni tempus, Regio, Ætas, & huiuſmodi alia, tę docebunt. Sectionis verò locum, inflammationis tempora tibi oſtendent: nám vt in lib. de rat. cur. per ſang. miſſ. cap. 19. ex Galeno aſſeritur *Incipientes Phlegmonas reuulſu curare oportet: quæ verò inueteratæ iam ſunt, ex ipſis, ſi fieri poteſt affectis partibus, quòd ſi nequeat, ſaltem ex vicinis*. nanquè vniuerſaliter euacuationis modos Galenus ipſe conſtituit. Reuulſionis eſt primus, & fit in parte quàm longiſſimè à fluxione tentata, qui ab humore indicatur, inter

inflam-

inflammationis initia,cùm fluere incipit, vel adhuc etiam fluit. Deriuationis eſt ſecundus, in vicina qui celebratur parte, cùm partem iam humor obſedit. Euacuationis eſt tertius, ex eodem affecto membro, vel ſaltem viciniori, qui adhibetur; quandò nempè malum eſt inueteratum.

Sed vtrum in Hepatis inflammatione, vena poplitis poſſit ſecari, inter Doctores magna exoritur controuerſia. Verùm quia humorum intrà venas putredo, illi putredini conſimilis eſt, vt 2. de diff. febr. cap.6. ex Galeno habetur, quæ in inflammationibus, alijſque adeſt tumoribus; generaliter idcircò tam grauem examinemus nos difficultatem. vnde ſit.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An ex humorum intra Venas putredine, vel ex inflammatione exortis febribus, corporiſque alijs affectibus, Sanguinis miſſio in infernis venis conueniat.

ARISTOTELIS, de Venarum principio, ſanguiniſque origine ſententiam, quam fideliter ego ſequor, ſi adducere vellem, Doctorum in hac controuerſia, Sanguinis miſſionem in pede, tùm ex humorum putredine, tùm ex Viſcerum inflammatione exortis febribus, proculdubio concluderem. Cor enim, ſi multitudo Principatus eſt mala, vnus verò debet eſſe Princeps, Arteriarum, Neruorum, & Venarum principium eſſe, Ariſtoteles aſſerit.

VENARVM autē eſſe Cor principium, ex cordis ſitu Ariſtoteles probat primò. Nam corporis medium in corpore, eſt principalior ſitus, & principi conuenit membro: ſed ſolùm Cor, in corporis medio ſituatur: ergo ſolùm Cor in corpore, eſt membrum princeps.

Dices. ad partem ſiniſtram Cor declinare: ergo non eſt Cor in corporis medio.

Reſpondetur, in Homine tantùm, ad ſiniſtram partem, Cor paulò vergere conceſſiſſe naturam, vt nempè ſiniſtræ partis refrigerationem moderetur: *omnium enim Animalium* in 3. de part. Anim. cap.4. vt Ariſtoteles inquit, *maximè Homo refrigeratā habet partem ſiniſtram.* Ex cordis ſtructura, Venarum principium eſſe Cor ſecundò Ariſtoteles probat. Nàm medium cordis corpus, ſpiſſum eſt & cauum: ſpiſſum quidèm, caloris, vt conſeruare poſſit. principium, cauum verò, ſanguinis vt conceptaculum eſſet: ergo Cor eſt venarum principium.

Conſequentiam probat. Nam Venarum principium ſanguinem ſine venis continere debet, cum ex illo Sanguis deriuetur ad venas. Sed ſolo in Corde ex Viſceribus omnibus, Sanguis eſt ſine venis: alia nanque membra & etiam Hepar, ſanguinem, intra venas habent incluſum: ergo Cor eſt Venarum principium.

Ex Venarum ſubſtantia, illarum eſſe Cor principium, probat 3. Ariſtoteles. Nam Viſceris ex quo Venæ egrediuntur, & Venarum, eadem debet eſſe ſubſtantia;& quod per ipſum, Venæ non tranſeant, ſed ab ipſo initium trahant: Sed Venarum ſubſtantia, non cum Hepate, huius enim carnoſa eſt ſed, cum Corde eſt eadem quæque non per Cor ſed bene tranſeunt per Hepar: ergo ex Corde egrediuntur Venæ,ſeu Cor eſt Venarum principium:

Cor præterea,ſanguinis etiam principium eſſe, ex ante dictis colligit & probat primo,nam in Corde, eſt prima virtus Nutritiua niſi tertiam virtutem dare velis, cuius tertia actio, nequè vegetatio ſic, nequè ſenſus, & motus: ergo in Corde eſt, primum Nutrimentum, quod Nutrimentum eſt ſanguis.

Probat, ſecundo Nam Cor eſt principium Venarum: ergo Cor eſt principium ſanguinis.

Conſequentia probatur.Nam idem membrum, quod eſt principiũ Venarum, eſt principium ſanguinis, tum ex eodem viſcere, operationes inſtrumenta oriantur, in quo eſt Operationis principium: ergo ſi Cor eſt principium venarum,eſt etiam principium ſanguinis.

Probat 3. Nam Membrum,quod eſt principium ſanguinis, ſanguinem intra venas incluſum continere non debet:ſed præter Cor, nullum Viſcus ſanguinem continet ſine venis:ergo Cor, eſt principium ſanguinis.

Cor denique eſſe primum viuens, tum vegetatiua, tum ſenſitiua vita, Ariſtoteles concludit. Nam Animal ſenſu definitur, & Virtus ſentiendi,illi primo tribuitur membro,quod primo eſt ſanguine præditum: ſed tale membrum eſt Cor: tum quia ſanguinis eſt principium: tum quia in generatione cum primo conſiſtat, primo eſt ſanguinolentum: ergo Cor, ſenſitiua vita eſt primum viuens, omniumque ſenſuum eſt origo,& principium.

Quod præterea in Animalis corpore primo Cor moueatur, ac ſic principium motus, in prima Partuum generatione clareſcit, in qua ſtatim Cor, quaſi Animal ſit,palpitare videtur.

Bene ergo,tum ex antedictis,tum ex his,Ariſtoteles colligit, Vegetatiua, & Senſitiua vitæ Cor eſſe primum viuens: & ob Neruorum copiam, quæ eſt in Corde, & Neruos ex Corde, oriri fatetur: & Animalis Virtus, Cordis robore, & miniſterio cum indigeat, nutritiuæ & Senſitiuę Virtutis Cor tandem concludit eſſe Principium.

At Chymericam, Ariſtotelis ſententiam eſſe, ſi quis crederet, ego nollem: illam etenim, argumentorum acutie, non ſòlum acerrime defendunt Philoſophi, ſed ſenſu viſus, quo, nullus alius ſenſus eſt certior, euidentiſſime Anathomici oſtendunt.

Opinatur Veſalius, inter Anathomicos ingenio quidem, & fama illuſtris, de humani corporis, fabrica lib. 3. cap. 6. ex eo quia Venæ Cauæ orificium, ad dextrum cordis, quod pertinet ſinum, velimus nos aut nolimus, Venam cauam quacumque metiaris ex parte, eius corporis amplitudinē, multo magis excedere: tum etiam quod Hepar coagulatus eſt Sanguis Cor idcirco venarū eſſe principium, & ſanguinis Cor eſſe originem, cum Ariſtotele ipſe defendit: multiſque infectam erroribus, Galeni, demonſtrat eſſe ſententiam.

Sed quæ de veſalio dicam? Hac in re quid decerneret, ſi Hippocrates ipſe ignoraui: in libro enim de Oſſium Natura ſic ille dixit. *Vena à qua aliæ germinant, vnde oriatur, & vbi deſinat, non ſcio: circulo enim facto, principium non inuenitur.*

Ex Hepatis itaque gibbo, venam cauam enaſci, & ſimiliter ac magnam arteriam, in duos illam bipartiri truncos, Galeni non ſolum falſam, Veſalius hanc credit eſſe ſententiam, ſed diſſectionis profeſſori indigniſſimum eſſe veram illam exiſtimare: falſitatem enim in Corporum diſſectione, ſenſus viſus oſtendit.

Quod præterea, ex venæ cauæ trūcis, ad ſuperiora, vnus aſcendat, ad inferiora dirigatur alter, & quorum ſuperior inferiori multo magis, ſtrictus eſt, & anguſtus, hæc Galeni doctrina eſt etiam falſa. Non enim, (viſus in Anathome derelicto ſenſu), veritati eſt conſonum, deſcendentis venæ cauæ truncum aſcendenti latiorem eſſe, & ampliorem, ſi truncus aſcendens maiorē ſanguinis copiam, quam deſcendens, cōtinere debebat. Ex deſcendēti etenim trunco, ſoli renes, vrinaria veſica, teſtes, crura, & inferior abdominis pars, nutriuntur: nam aliæ, vt cap. 7. Veſalius docet, quæ ſub Hepate collocantur partes, cuiuſmodi ſunt fellea veſica, Ventriculus, Inteſtina, Omentum, Meſenterium, & Lien, neque ramulum aliquem à vena caua deſumunt, ſed qui in illis diſſeminantur partibus, ex vena portæ trahunt originem: è contra autem, ex aſcendenti trunco, reliquæ corporis, partes omnes ſuperiores, alimentum recipiunt.

Hepar ergo, ex viſus ſenſu edoctus Veſalius, in ſui ſubſtantia cùm ſit ſanguis concretus, venularumque in ipſo cùm infinita ſit ſoboles, nec ſanguinis, nec venarum principium eſſe exiſtimat, ſed ex venis potius, & ſanguine, ipſum Hepar enaſci, pro certo affirmat. ex tot enim, tantiſque venis, quarum quælibet ſanguinem cùm euomat, quique effuſus concreſcat, ex illarum textura, ſic Natura docente, exoritur Hepar.

Venam

Venam cauã prætereà ex Cordis dextro ſinu oriri aſſerit, quam, non ſicut magnam arteriam, in duos truncos bifurcari docet, ſed deorſum per Iecoris poſteriora ferri,atque inconcaua eius parte innumeras venularum propagines,ex illa oriri; qua ſenſim verſus medium Hepatis creſcentes,in vnam magnam coeunt venam,quę Porta dicitur: Sic etiam in gibba Hepatis parte, ex illa Venæ cauæ ſede, innumeras pariter venularum propagines exoriri affirmat; quæ ſenſim à parte gibba ad medium Hepatis creſcentes, vnam denique inſignem efformant venam, quæ Caua appellatur,magna, & iecoraria:vtriuſq; autem venæ rami,per Hepatis vagantes corpus, ex illis aliquorũ oſcula, ſicut etiam & multis alijs in locis, adeò inter ſe communicant, vt vnam continuatam venam cauam effingere videantur.

Sed in iſtas,noſtra ingenia difficultates immergere, locus hic non requirit: Ariſtotelis nunc ſufficiat propoſuiſſe ſententiam: ex qua iam ſatis clare colligi poteſt,in partium ſuperiorum affectibus, in infernis partibus,mitti ſanguinem oportere; Corporis quocumque in loco,putreſcentium humorum, focus exiſtat.

Ratio aſſignatu eſt facilis. Nam operationis vitiato principio, vitiantur operatio, & opus: ſed Cor ſanguificationis, & ſanguinis eſt principium: ergo corde vitiato, vitiantur ſanguificatio, & ſanguis: ſed corde vitiato, (non dico tamen immodice, nàm immoderatas, Cor non patitur intemperantias, quin, ex Ariſtotele, mors non ſequatur) corrupta ſanguinis maſſa, non per partes ſupernas, debet extrahi ſanguis: ergo per partes infernas, ille eſt educendus.

Minor quæ infertur,ſic probatur. Vena caua abſque vlla ramificatione,ex dextro cordis ſinu, ad Hepatis poſteriora deſcendit, & ibi ex illius anteriori, & poſteriori ſede, venularum dimanant propagines, ex quibus, & caua & Porta vena oriuntur; & iterum poſteà, vena caua per ſeptum tranſuerſum, ad Cor, vnde deſcenderat, eleuatur, per omnes partes ſuperiores, ſuos ramos diffundens: ergo corde vitiato, vitioſus ſanguis, non per ſupernas partes, extrahi debet.

Conſequentia probatur. Nam cùm vena Caua, à corde deſcendente,ad Hepar deſcendit,etiam vitioſus ſanguis, ex eo quòd,& ſanguinis,& venarum, eſt Cor principium: ergo ſi per brachij venas, eſſet ſanguis mittendus, neceſſe eſſet, vt putridus ſanguis qui à corde deſcenderat,iterùm ad Cor aſcenderet,vt per cubiti venas, euacuari poſſet: ſed à principi membro, putridum deſcendentem ſanguinem, iterum ad princeps membrum, illum redire, vel Naturæ impotentiam, vel Artificis ignorantiam arguit: ergo corde vitiato, vitioſus ſanguis,non per partes ſupernas extrahi debet.

Minor illata probatur. Nam à principi membro ad ignobiles partes, vitioſos conatur ſemper Natura, expellere humores: ergo cum ad partes, vndè illos expulerat humores redeunt, impotentis Naturæ eſt argumentum.

Artificis, ex hoc prætereà, ignorantia arguitur. Nam impotenti Naturæ, neſcire Artificem ſuccurrere, ſignificatur.

Confirmatur denique hoc Argumentum, ex admirabili prouidentia Naturæ, in diſpoſitione venarum. ſanguinis etenim purgamenta non in ſuperioribus, ſed in inferioribus partibus, Natura conſtituit. In ſubſtantia nanque Hepatis venæ cauę, & venę portæ ramos aliquos comunicari adinuicem Natura diſpoſuit; vt ſanguinem, ex intemperato principio vitioſus qui genitus erat, ad venæ portæ transfunderet ramos.

Quòd ſi ſanguis, in alijs venæ cauæ, vitietur partibus, ex interiori propagine venæ cauæ deſcendentis, ſiniſtri trunci, ad ani cutem multos ramos exortos, diſſeminauit Natura, vt fæculentus, & putridus, totius venæ cauæ ſanguis, ad illos decumberet ramos, ac per illos expurgaretur, vt lib. 3. de humani corporis fabrica cap. 9. Veſalius exiſtimauit.

Sed Philoſophis philoſophica derelinquamus principia, & Hippocratis, & Galeni ſequentes dogmata, In malignis, nempè, ac peſtilentialibus febribus, alijſque tùm febribus, tùm affectibus, quorũ omniũ, putredinis focuş, vel intrà venas, vel extra venas, vel cùm Viſceris inflammatione, aut ſine Viſceris inflammatione, in ſuperioribus, aut inferioribus exiſtat partibus, ex infernis venis mitti ſanguinem oportere, in Hippocratis & Galeni doctrina, acerrimè hanc ſuſtineo, & defendo ſententiam.

Pro huius autem Concluſionis fundamento, eſt primò adnotandum in Galeni doctrina, controuerſiam nõ eſſe, immò eſſe ſtatutum, inferiorum partium in affectibus, venam poplitis eſſe ſecandam, aut venam aliam inferiorem: firmiter enim in 6. epid. ſect. 1. com. 6. aſſerens dicit, *membram ſuprà Iecur cubiti venæſectionem poſtulare, infra verò crurum*. Et tanti ad eius mentem vera eſt hæc doctrina, vt in 6. aphor. 36. Hippocratis aphoriſmum illum commentans,, *Difficultatem vrinæ vena ſecta iuuat, ſecare verò interiores;* ex reiectis aphoriſmis, & Hippocrate indignis iſtum eſſe aphorimum, ibi exiſtimet: cùm in omnibus ſuis libris, Hippocrates doceat, in partibus, quæ ſuprà Iecur ſunt, è manibus ſanguinem mitti, in inferioribus autem, venas, quæ in poplite, vel talo ſunt, ſecari debere.

Notandum eſt ſecundum Hepar inter ſuperiores corporis partes, an verò inferiores reponi debeat, dubiam eſſe Galeni mentem. Septum enim tranſuerſum, ab inferioribus, ſuperiores ſi diuidit

partes,

partes, & Hepar ſub ſepto tranſuerſo, ſi eſt collocatum, inter partes inferiores, illud verè connumerari deberet. Verùm quia ſepto tranſuerſo eſt adnexum Hepar, fit idcircò hac ratione, vt corporis medium dicatur Hepar, ſuperiores partes, vt 6. epid. ſect. 2. com. 14. fatetur Galenus, ſecundùm partem conuexam terminans; inferiores verò, ſecundùm partem cauam: vnde eſt quòd Hepatis pars conuexa inter ſuperiores partes, concaua verò inter inferiores connumeratur. Attamen in principio commenti, quamuis hoc dicat Galenus, in fine tamen, iterùm dubitare videtur, aſſerens enim ibi quòd Hepatis conuexum, concauo longè periculoſius eſt, ſubdit poſtea „ *Et nonnulli, ipſum, inter ſuperiores corporis totius partes, quemadmodum & os ventriculi reponunt*. at firmiter, inter ſuperiores partes, Hepatis connumerari conuexum, ſi Galenus ſentiret, non diceret „ *nonnulli reponunt*, ſed liberè, ex propria ſententia, inter ſuperiores partes, Hepatis conuexam partem adſcriberet.

Sed gratis conceſſo inter corporis ſuperiores partes, Hepatis conuexam partem adſcribi, adhùc tamen ex his notandis colligitur, quòd ſi Hepatis pars conuexa, inter ſuperiores connumeratur partes, vt ſic quando illa afficitur, ex brachio, in Galeni ſententia, ſanguinis miſſionem expoſcit: concaua autem, ſi inter inferiores connumeratur partes, in poplite, cum illa patitur, ſanguinis miſſione iuuatur.

His itaque ſic notatis, ad rationes, quibus omnibus in Galeni doctrina fundatis, hanc defendo ſententiam, meum nunc, conuerto ſermonem.

Prima Ratio, ex ſanguinis miſſionis deſumitur, vſu; qui Hepatis eſt refrigeratio, & conſequenter totius corporis habitus. Nam Hepati, per arterias, à corde communicatur calor: ergo illa Hepatis pars, eſt magis calida, in qua adſunt arteriæ: ſed arteriæ non in gibba, ſed tantummodo in caua ſunt, Hepatis parte, cùm in caua concoctio fiat: ergo concaua Hepatis pars, eſt magis calida: ergo à cauſis calidis cùm Hepar intemperatur, pars concaua primò ignеſcit, & fortior in illa, intemperies contrahitur: in habentibus nanque ſymbolum, tranſitus eſt facilior: & ab illa deinde intemperata, tùm gibbæ Hepatis parti, tum toti corporis habitui, præter naturam comunicatur calor: Ergo ſi affecti viſceris principaliori affectæ parti, eſt ſuccurrendum, à qua deuenit omne malum, in febribus cùm offenditur Hepar, à pede ob Hepatis refrigerium, & inde totius corporis, eſt ſanguis mittendus, cùm in concaua eius parte arterijs implicata, caloris ſit focus: in eodem etenim viſcere, impoſſibile eſt, vt caloris focus, in illa ſit parte, vbi minor eſt calor: ſed Hepatis concaua pars, inter inferiores cum numeretur partes, ex pede, ſanguinis

miſſione iuuatur: ergo ad Hepatis, & corporis refrigerium, in pede eſt ſanguis mittendus.

Secunda Ratio, ex primo infertur euacuationis modo, qui Reuulſio dicitur. Nam Humorum intra venas putredo, illi putredini, quæ in inflammationibus adeſt, ex Galeno 1. de differ. febr. cap. 6. conſimilis eſt: ſed incipientes phlegmonas, vt in lib. de rat. cur. per ſang. miſſ. cap. 19. Galenus idem affirmat, reuulſu curare oportet: ergo intra venas, humorum putredo, reuulſione pariter eſt curanda: ergo ſi putredinis focus in parte eſt ſuperiori, non ex cubito, ſed ex pede mittendus eſt ſanguis.

Conſequentia hæc patet. Nam Reuulſio vt 13. meth. cap. 11. docet Galenus, fit a parte quàm longiſſimè fluxione tentata: ſed à ſuperioribus partibus, non brachia longiſſimè diſtant, ſed crura, & pedes: ergo à cruribus, aut pedibus à ſuperioribus partibus, reuulſionis gratia, eſt extrahendus ſanguis.

Tertia Ratio ex alia accipitur reuulſionis conditione. Non ſolùm enim, ad partes quàm maximè longinquas, fieri debet reuulſio, ſed etiam ad partes ignobiles, ne peius fortè ſuccedat; ſicut ex retractione fluxionis oculorum ad fauces in 6. epid. ſect. 2. tex. 31. Hippocrates docet, & in commento hæc habet Galenus, *Quemadmodum igitur hoc loco conſulit, ita & in alijs te animaduertere iubet, ne quod ex membris, ad quæ materiam retrahis, magni nocumenti diſcrimen adeat.* Qua ſtante doctrina ſubdimus nos. ſed partes ſupernæ, infernis partibus ſunt quàm longè nobiliores: ergo in ſuperioribus partibus, quando eſt putredinis focus, ad inferiores fieri debet reuulſio: ergo non ex brachijs, cum hæc, ſuperiores ſint partes, ſed ex cruribus, aut pede, eſt educendus ſanguis.

Quarta Ratio, ex ipſo deducitur inflammationis principio. Nàm inflammationis principium, ſola reuulſione curatur, ex allegata Galeni doctrina: ergo in partibus ſuperioribus cùm inflammatio adeſt, non in brachio, ſed in pede, vena debet ſecari.

Conſequentia probatur. Nam in brachio ſecta vena a ſuperioribus partibus, non ſolum reuellit, ſed etiam euacuat: ſed inflammationis principium ſolo reuulſionis modo curatur: ergo in ſuperioribus partibus, cum inflammatio adeſt non in brachio, ſed in pede vena debet ſecari: ergo ſimiliter in ſuperioribus partibus; cum putredinis adeſt focus, vena in cubito ſecari non debet: Si ex ſupradictis, iuxta Galen. doctrinam humorum intra venas, & in inflammatione, conſimilis eſt putredo.

Maior patet primò ex Galeno in 2. de rat. vict. in morb. acut. com. 10. vbi ſic ait „ *Cum igitur ſuperiorum condolentia ſignum fecerit, venam in cubito ſecare eam oportet, quæ ſanguinem ab affecta parte,*

& magis

& magis & velocius tum reuellere, tum vacuare poſſit. Patet etiam ratione. Nam perfecta reuulſio ex Galeni doctrina non ſolum ad longinquas fit partes, ſed ad maximè longinquas: ergo in brachio ſecta vena, non ſolum reuellit, ſed etiam euacuat.

Conſequentia probatur. Nám brachia à ſuperioribus partibus non maximè diſtant, immò cùm ſint partes ſuperiores, putredinis foco in ſuperioribus partibus ſunt vicina: ſed reuulſio fit in parte magis longinqua, euacuatio autem in eadem parte, vel ſaltem viciniori: ergo in brachio ſecta vena, non ſolum reuellit, licet imperfectè reuellat, ſed etiam euacuat.

Quinta Ratio ex deriuatione colligitur, quæ ſecundus eſt euacuationis modus. Nam deriuatio vt 6. epid. ſect. 2. com. 7. ex Hippocratis mente Galenus docet, fit quando ſuccus euacuatione indigens per conuenientem regionem non vacuatur, & tunc diuertitur ad locum non valdè procul a conuenienti, neque ad remotiſſimum: ſed nobilium ſuperiorum partium euacuationis conuenientia loca, ſunt partes inferiores ignobiles, a quibus brachia in ſuperioribus cùm collocentur, ſunt valde procul, crura autem & venæ ſedis, nec valde procul ſunt, nec remotiſſimæ: ergo in ſuperioribus partibus, cum ſuccus per conuenientem regionem non vacuatur, non ad brachia, ſed ad ſedis venas, aut crura deriuare oportet.

Minor ex multis Galeni doctrinis clariſſimè patet, in quibus omnibus, aſſerit ipſe ſuperiores nobiles partes, vitioſa humorum ſarcina cùm premuntur, per inferiores ignobiles ſe exonerare: at quoniam Galeni hæc loca in ſequentibus afferam rationibus, te idcircò ad illa, conferas.

Sexta Ratio ex deriuationis condititione deſumitur. Nam deriuatio, vt ex Galeni patet exemplis, fit ad locum, per quem putreſcens humor, ſolet etiam euacuari a Natura: in 6. enim epid. ſect. 2. com. 7. opinatur Galenus, quod Veſica, aut Renibus vitiatis, ſi per vias vrinæ, humores effluant, ad aluum fit deriuatio: & è contra, inteſtinis vitiatis ad vrinæ vias fit deriuatio: ſic pariter in profluuio vteri, vel ad vias vrinæ, vel ad ventrem deriuatio adhibetur: ſed per venas in cubito, non Natura, ſed Ars, putreſcentes euacuat humores, è contra autem per ſedis venas, aut etiam per crura, vt in Varicibus patet, Natura illos expellit: ergo in ſuperioribus partibus putreſcentes humores, cùm non per rectam regionem euacuantur, non ad brachij, ſed ad ſedis venas, aut crurum, deriuare illos oportet.

Septima Ratio ex euacuatione accipitur, quæ euacuationis in genere eſt tertius modus, ipſiuſmet generis retinens nomen. Nám venæ in bra-

in brachio, ex venis in thorace à caua vena aſcendente, exoriuntur: ſed ex iſtis venis, in thorace nulla vena eſt, quæ humores prauos excipere valeat, è contra autem venæ inferiores: ergo non per venas in cubito exiſtentes, ſed per venas inferiores, euacuationis gratia, eſt educendus ſanguis.

Minor in 3. de Articulis com. 4. his verbis à Galeno regiſtrata videtur „ *Nonnulla*, inquit, *Mala, quæ infrà thoracem exorta ſunt, ad lumbos videlicet, à varicibus, & torminibus ſoluuntur. cùm videlicet humores, quæ ipſa efficiebant, primùm in maximam venam, quæ ſpinæ adhæret: deindè in ramos eius in cruribus deſcendit. Circà thoracem verò nulla huiuſmodi vena eſt, quæ humores prauos excipere valeat*. De his poſteà, ſic inquiens, rationem aſſignat „ *Quippè cum, qui dura, & cruda gignunt humores, lenti, & craſſi ſint, vt non facilè in anguſtas, & paruas venas tranſire valeant. At quæ ad lumbum eſt vena, cum latiſsima ſit, omnibuſque, inferioribus ſanguinem ſuppeditet, craſſos hos, ac lentos humores vbi excepit, ſi valida in affectis membris, ad expellenda excrementa vis ſupereſt, in alias hùc pertinentes venas eos deponit, ex quibus ſi craſsi admodùm ſint ſtatim quę in inguine eſt, ſi mediocres, quæ in poplite dilatatur, ac varicatur.*

Octaua Ratio ex principalioribus corporis affectis membris infertur, Hepate ſcilicet, corde, & cerebro, à quorum facultatibus ita regitur vita, vt illarum vna deſtructa, reliquarũ, ex 9. meth. 10. neceſſe ſit vnamquamque perire: & ab Hepate primò incipiens, ſic argumentor. Nam excrementorum Hepatis vbi ſunt receptacula, ibi illæ partes, euacuationis illorum, ſunt conuenientia loca: ſed infrà ſeptum tranſuerſum, excrementorum Hepatis, ſunt receptacula: ergo infrà ſeptum tranſuerſum, per partes inferiores vitiata Hepatis excrementa debent euacuari.

Minor patet ad ſenſum. Nam Hepatis tria ſunt excrementa, Bilis nempè, quæ in felle recipitur, Melancolia in liene, & Pituita in ventriculo, niſi ventriculum Pituitæ non ſtatuas ſolummodò receptaculum, ſed eius etiam cùm Galeno in 1. de Natura hum. com. 39. generationis locum „ *Natura autem pituitæ*; ſic ibi inquit, *ad mores parandos minimè eſt ex vſu: apparet enim quòd ex prima ciborum immutatione per neceſsitatem generetur*: Sed tam fel, quàm lien, quàm ventriculus collocantur infrà ſeptum tranſuerſum: ergo infrà ſeptum tranſuerſum excrementorum Hepatis ſunt receptacula.

Nona Ratio ex corde affecto deducitur. Nam graues & proprij cordis affectus, vniuerſalis temporis morbi, nõ pertranſeunt principium: ergo in cordis affectibus nullum aliud quàm reuellere erit remedium: ergo in cordis affectibus, non à cubiti vena, hæc enim à corde longinqua non eſt, ſed a poplite, alijſque infernis venis, eſt vena ſecanda, cum ad partes quammaximè longinquas, reuulſio fiat.

An-

Antecedens in 5. de loc. affect. cap. 2. his verbis à Galeno eſt regiſtratum „ *Cæterùm proprio quoque affectu Cor laborare ſolet, vel ob ſimplicem intemperiem, ſiue inæqualis, ſiue æqualis ea fuerit, vel inflammationem, vel eryſipelas, idque dum fieri incipit: illicò enim antea quàm augeatur huiuſmodi affectus, Animal corrumpitur*.

Decima Ratio ex Hepate colligitur ratione debilis lienis. Nam Hepatis fæculenta, ac vitioſa materia per hæmorroides euacuatur: ergo debili exiſtente liene, fæculentam materiam, qui trahere non poſſit, non per ſupernas venas, niſi per illas vias bene Naturam euacuare velis, ſed per venas hæmorroidales, aut alias infernas, eſt educendus ſanguis.

Antecedens in 6. aph. com. 12. ex Galeno habetur, vbi Hemorroidas poſtquam docuit, quòd fieri impoſſibile eſt, abſque hoc quòd ad illas, per quarundam venarum ora aperta, melancolicum, & fæculentum ſanguinem Hepar transfundat: hinc viæ ſi occluduntur, ab illius fæcis multitudine, caloris eius ſuffocatio accidit, vt à multis lignis ſuperingeſtis ſuffocatur, & extinguitur ignis: ſic tandem ibi concludit „ *Non fruſtrà igitur conſulit vnam ſaltem ſeruare hæmorroidem, vt per hanc euacuetur fæculenta, ac vitioſa materia Hepatis, præſertim in quibus ſolita eſt tempore longo per tales venas excerni*. Ergo Hepatis fæculenta, ac vitioſa materia, per hæmorroides euacuatur.

Vndecima Ratio à Cerebro affecto deſumitur. Nàm Medicus eſt Naturæ imitator; morborum enim Naturæ ſunt medicatrices: ergo per quam partem, putreſcentes in Cerebro, Natura euacuat humores; per eandem partem debet Medicus euacuare: ſed per infernas partes, putreſcentes in Cerebro Natura euacuat humores: ergo per eaſdem infernas partes, illos Medicus debet euacuare.

Minor quæ infertur patet. Nàm in 6. aph. 11. Hippocratis aphoriſmum illum commentans Galenus „ *Melancolicis, & renum vitio laborantibus, hæmorroides ſuperuenientes bonum*, ſic in commento inquit, *Non ſolum ratione euacuationis hæmorroides ſanant huiuſcemodi paſſiones, ſed & ipſa qualitate humoris euacuati*: Ergo non reuulſionis, aut deriuationis modo, in Cerebro putreſcentes humores ad infernas à Natura euacuantur partes, ſed ratione euacuationis.

Confirmatur prætereà ex eiuſdem Galeni doctrina: in 6. nanque Aph. 34. quando dicit Hippocrates, *Quicumque calui ſunt, ijs magnæ varices non fiunt, quibus verò caluis varices magnæ ſuperueniunt, ij rurſus capillati fiunt*. In commento aſſerit ipſe, quòd caluities eſt inſanabilis, vndè aphoriſmus hic non eſt verus, niſi de capillorum, a vitioſis genito humoribus, intelligatur defluuio; *atque ideò*, ibi inquit, *cùm ijdem humores ad crura decumbunt, poſſunt varices facere, & capillos reſtituere*.

ſtituere. ergo per infernas partes, putreſcentes in cerebro Natura euacuat humores.

Duodecima Ratio ab humoris ad cerebrum vergentia, accipitur. Nam ex Galeno 13. meth.cap.21. de lethargi, & phrenitidis principio loquente ſic habetur „ *Itaque incidenda in talibus affectibus vena eſt ſtatim ab initio*: & paulò poſt Oxirodinum iubens, ſic ait, *Nam repellendus à capite humor eſt quiſquis is fuerit*: Sed in principio fluxionis reuulſio conuenit, quæ eſt ad remotiſſimas partes: ergo in humoris ad cerebrum vergentia, non in cubito, ſed in pede, eſt educendus ſanguis.

Confirmatur hæc ratio, illius Doctoris, authoritate, qui Galeno Librum aſcripſit, cuius titulus eſt, Præſagium experientia confirmatum, vbi Doctor ille, ſic dicit „ *Sin affectio ſit, quam propriè phrenitim appellamus, poplitem ſecare*. In quibus verbis aduertas, quòd poplitis ſectionem, non phrenitidis in principio ſtatuit, ſed ſimpliciter, in phrenitide, fuit loquutus. hinc colligas velim, tùm ex hoc, tùm etiam ex ſupradicta ratione, non ſolùm reuulſionis gratia, ſed euacuationis in affectibus cerebri, ſanguinem extrahi, in infernis partibus, conuenire.

Decimatertia Ratio ex inſtrumentalibus, aut corporis minus principalibus deſumitur partibus, & primò ex gutturis, fauciumque muſculis, ad quos humores cùm confluunt, inflammationem cauſant, quæ Angina vocatur, Nam in Anginæ curatione, totum corpus non phlethoricum eſſe, ſed humoribus fieri debet auarum: ſed in infernis venis, non ſupernis ex ſanguinis miſſione, humoribus redditur, totum corpus auarum: ergo in Anginæ curatione, ex infernis venis, non ex ſupernis, eſt educendus ſanguis.

Confirmatur. Nam Angina, faucium, & gutturis muſculorum eſt inflammatio: ergo reuulſionis gratia, de neceſſitate in eius principio, eſt mittendus ſanguis in pede.

Sed non tantùm in Angina, reuulſionis gratia, ſanguis miſſionem in pede, me concedere credas, ſed etiam deriuationis, & euacuationis ratione. Probatur hæc aſſertio. Nam fluxio, ad faucium vel gutturis muſculos, aut fluens ſit, vel fluxa, ad ſtomachi venas diuerti poteſt, & per illas euacuari, ob iſtarum partium comunicantiam, & viciniam: ergo ſtomaci, & faucium, tali ſtante comunicantia, & vicinia, per infernas partes ſtomaci inanitis venis, à gutturis, & faucium muſculis, reuellitur, diuertitur, & euacuatur iam fluxus humor.

Antecedens ex Galeno patet in 4. de rat. vict. in mórb. acut. com. 31. vbi ſic ait „ *Cæterum ita affectis fit interdum, vt ex fluxionis partem recipiant faucibus vicini, atque à tergo ſiti, ordinatique muſculi, vbi & ſtomacus, qui ſæpius & ipſe vna afficitur.*

Conſe-

Conſequentia probatur. Nam in ſtomacho non aliæ venæ ſunt, quàm venæ portæ rami, qui per infernas partes, ex miſſione ſanguinis, euacuantur; cùm infernis tantummodo comunicent venis: ergo per inferiorum venarum ſectionem, ſtomaci inanitis venis, ab affectis muſculis ob comunicantiam, & viciniam, reuellitur, diuertitur, & euacuatur, iam fluxus humor.

Confirmatur ſecundò. Nàm in cubito, vel in iugulo ſecta vena, euacuat quidem a parte, ſed à vicinis fieri non poteſt, vt etiam vel ad inflammatam partem, ſi eſt in iugulo, vel ad vicinam, ſi eſt in cubito, non reuellat: ergo iuuamentum, vel paulò plus detrimento erit, vel detrimentum erit multò maius: ergo potius ex infernis venis, eſt extrahendus ſanguis.

Antecedens ex Galeno patet in 2. de rat. vict. in morb. acut. com. 10. vbi venam in cubito ſectam reuellere, & euacuare docet, vt ſuprà nos, iàm diximus.

Conſequentia vltima probatur. Nàm in pede ſanguinis miſſio, inflammatas partes, ex ſupradictis euacuat, tùm etiam à toto, vel à partibus ad inflammationis locum tranſmiſſos, & fluentes humores, ad remotas, & ignobiles retrahit: ergo tùm reuulſionis, tùm euacuationis gratia, in venis infernis ex miſſione ſanguinis nullum poteſt detrimentum cauſari, ſed ſolummodo iuuamentum: ergo in Angina ex infernis potius venis, quàm ex ſupernis eſt ſemper, tùm reuulſionis, tum euacuationis gratia, educendus ſanguis.

Confirmatur 3. Nam Angina terribilis, vt 4. aph. 31. Hippocrates docet, à nitroſa fluxione dependet: ergo non ex ſupernis ſed ex infernis venis in Angina terribili & maligna, eſt extrahendus ſanguis.

Conſequentia probatur. Nam in infernis venis, non in ſupernis, fæculentus eſt ſanguis: ergo in infernis venis ſanguis adeſt nitroſus: ergo in Angina terribili, & maligna, non ex ſupernis, ſed infernis venis, eſt extrahendus ſanguis.

Prima conſequentia patet. Nam Nitrùm de fœcibus naſcitur: ſed in infernis venis, ſanguis eſt fæculentus: ergo in infernis venis, ſanguis adeſt nitroſus.

Secunda conſequentia eſt etiam clara. Nàm cauſa remota remouetur affectus: ſed ex ſupernis venis, nitroſus non extrahitur ſanguis, qui eſt cauſa Anginę, ſed tantùm ex infernis: ergo in Angina terribili, ac maligna, non ex ſupernis, ſed ex infernis venis eſt euacuandus ſanguis.

XIV. Ratio ex alijs circa pręcordia inflãmatis, infertur, partibus, vt pulmone, pleura, & cæteris, non ſolùm quidẽ reuulſionis gratia, vt ſic enim in Pulmoniæ, & Pleuritidis principio, ex pede ob antedictas

 ratio-

rationes ſanguinem extrahi,conuenire,certum eſſe exiſtimo: inflammatio enim eſt vterque affectus, & inflammationis in principio, reuulſionis gratia,quam longiſſime ab inflammata parte,debet ſanguis educi, cuiuſmodi non ſunt brachia, ſed pedes:at euacuationis etiam ratione,in affectibus iſtis,ex infernis debere, mitti ſanguinem venis, ego pariter aſſero. &

Arguitur ſic. Circà præcordia inflammatas partes, per abſceſſus ad crura, humores fluxos euacuans, Natura ſanat: ergo in iſtarum partium inflammatione, medicus Naturæ æmulus, & imitator, ab infernis venis,euacuationis gratia, debet mittere ſanguinem.

Conſequentia patet. Nàm medicus ex antedictis, æmulus eſt, & imitator Naturæ: ergo ab iſtis partibus inflammatis, ſi Naturæ opera ad crura decumbunt humores, pari etiam modo, non per ſupernas, ſed per infernas venas euacuari debent ab Arte.

Antecedens ex Hippocrate probatur in libro de Coacis prænotionibus, vbi, de Pulmonia loquens ſic ait „ *Quibuſcumque autem ex Peripneumonia abſceſſus circa aurem, aut ad infernas partes fiunt,& ſuppurantur,& fiſtulantur, hi ſuperſtites euadunt*. Sed abſceſſum circa aurem, in quacumque periculoſa conuenire peripneumonia, ne fortè quis crederet,generaliter de omni, circa præcordia, inflammatione ſcribens, ita ſubdit „ *fiunt autem ad infernas quidem partes, his, quibus circa præcordia inflammatio fit:ad ſupernas vero, quibus præcordium molle, & doloris exorſ uerit*: & concludit tandem „ *At abſceßus ad crura in periculoſis inflammationibus pulmonis, omnes quidem commodi ſunt*: ergo circa præcordia, inflammatas partes, per abſceſſum ad crura,humores fluxos euacuans,Natura ſanat.

Dices,falſò à me,pleuritidis, & pulmoniæ in principio, reuulſionis gratia, in pede ſanguinis miſſionem conuenire, vt certum exiſtimari. Nam inflammatio, ex Galeno 4.aph. com. 62. fit de repente: ergo ſanguinis miſſioni, reuulſionis gratia, non conceditur locus.

Quæ doctrina à celeberrimis quibuſdam Doctoribus adeo creditur firma, vt a partu, angina, & pleuritide correptis mulieribus, puerperijs benè ad huc fluentibus;ſaphena vix ſemel inciſa ex brachio ſanguis mittatur, affixis vna ſimul cruribus, cucurbitulis; & tybijs, ligaturis.

Reſpondetur, conſequentiam negando & negationis ratio eſt, quia non ita de repente fit inflammatio, vt in tempore imperceptibili totum ſit inflammationis principium, ſed in prima principij parte, repentinam fieri poſſe inflammationem, concedimus, non

autem

autem in toto inflammationis principio. Adde,quòd Galenus loco allegato, de repente inflammationem fieri, non ſimpliciter aſſerit, ſed illam fieri poſſe dicit: Sic etenim ibi ait „ *Inflammatio verò, & obſtructio etiam repentè fieri poſſunt*. Vel gratis conceſſo quòd repente ad inflammatam partem,totus confluat humor:quia tamen,in inflammatione calor eſt,& dolor, qui cauſæ ſunt tractionis humorum; ob has ſaltem cauſas, reuulſionis gratia, inflammationis in principio, ex pede mitti ſanguinem conuenire, ego aſſero: de reuulſione enim deſtrueretur aliter, Galeni doctrina.

Ex qua Reſponſione, non ſolùm inflammationis in principio, ſed in alijs etiam temporibus, quotieſcumque euacuationis ratione debet extrahi. ſanguis, euacuationem colligimus, reuulſioni, debere eſſe coniunctam.

Ratio eſt. Nam quotieſcumque ad inflammatam partem humorum adeſt attractio, illorum ad alias partes, fieri debet retractio: ſed in quocumqne inflammationis tempore, ſiue fluat,ſiue fluxus ſit humor, declinatione excepta, in qua pure iam facto, terminata ſunt omnia,dolor adeſt & calor,qui humorum tractionis ſunt cauſæ:ergo in quocumque inflammationis tempore reuulſio conuenit, & euacuatio: euacuatio quidem ratione fluxi humoris, reuulſio autem ratione fluentis.

Minoris prima pars ex Hippocrate in 2. aph.47. docetur, cùm inquit „ *Dum pus conficitur dolores, & febres accidunt magis quàm iàm confecto*. & aſſerit in commento Galenus, quòd dolores,& febres, contingunt, vt ibi ait,ex quadam veluti ebullitione, atque exuſtione ſanguinis: qui vbi ex toto exuſtus fuerit, reſiduũ eius fit pus, quemadmodum in lignorum exuſtione cinis: atque ideo tempore illo,dolores ſedantur, ac febres. Secunda pars minoris,quòd nempè humorum tractionis cauſæ ſint, dolor,& calor, ex ijs, quæ ſuprà diximus, iam nunc probatione non indiget.

Ad Doctorum auctoritatem, Reſpondeo, quòd parcant mihi in hoc celeberrimi iſti Doctores: cum illis etenim aſſentiri ego non poſſum,dummodò ipſimet caſus,quos ipſi referunt, ad interitum, vt legenti patet, terminati fuere: & nullam mulierem ſic affectam,& ſic curatam, orci fauces effugere quotidiana docet experia: immò ex brachijs poſt miſſum ſanguinem, ſuffocatas puerperas de repente mori, obſeruauimus, & indoctos quoſdam Medicos, hac de re,ſæpè ſæpius nos redarguimus.

Adde, quod hoc mihi,ſuadet ratio. Nam plus poſſunt duo agentia, quàm vnum: ſed in puerpera pleuritica aut anginoſa, dùm ex brachio illi ſanguis mittitur, ad retrahendum puerperia ſursùm, ſunt duo agentia, ſanguis videlicet miſſio, & partis inflammatæ ca-

lor, & dolor; qui ex eorum natura apti ſunt attrahere: ad illa verò retrahendum deorsùm, ſunt cucurbitulæ non ſcarificatæ in cruribus, & ligaturæ in tybijs, quæ cùm conueniant, foras in non euacuando materiam, vnum efformant agens: immò ſanguinis miſſio eſt iſtis efficacius agens: ergo dum in brachio, puerperis ſic affectis, vena ſecatur, de neceſſitate puerperia ſursùm trahuntur: ſed puerperia ſursùm trahere, mortem eſt languenti afferre, cùm ſanguis ille putridus ſit, & venenoſus: ergo in puerperis ſic affectis, nunquàm in brachio ſecanda eſt vena, ſed ſemper in infernis venis. Nec ſolum in puerperis, ex cubito ſanguinis miſſionem, cum pleuriticæ ſunt, aut anginoſæ, non conuenire contendo, ſed in illis etiam, quibus aut hæmorroides, aut menſtruæ purgationes, vel diminutæ; vel ſuppreſſæ fuerunt. in idem etenim incideremus malum, cum prauæ qualitatis, iſtarum venarum ſit vterque ſanguis.

Decimaquinta Ratio ex inferioribus deducitur affectis partibus, vt Veſica fellea, Ventriculo, Inteſtinis, Omento, Meſenterio, & Liene. Nam inter cubiti, & iſtarum partium venas, nulla adeſt comunicantia: nam cubiti venæ, axillaris venæ ſunt rami, quæ aſcendentis cauæ eſt propago; iſtarum autem partium, rami ſunt venæ portæ: ſed venam incidere, quæ cum parte affecta non comunicat, partem ſanam eſt offendere, & ægram non eſt iuuare: ergo infernis iſtis partibus affectis, in cubito ſi vena ſecetur, ſuperiores offendentur partes, & inferiores non iuuabuntur: ergo ſi venæ portæ rami, cùm ramis deſcendentis venæ cauæ comunicant, infernis idcircò affectis partibus, inferiores ſunt ſecandæ venæ.

Maior his verbis in 3. de Humani corporis fabrica cap.7. ex Veſalio patet „ *Primum enim neque bilis Veſicula, neque Ventriculus, neque Inteſtina, neque Omentum, neque Meſenterium, neque Lien ramulum aliquem à Caua aſſumunt, hæcque ſub Iecore collocantur.* Quòd præterea, venæ in cubito, axillaris venæ ſint rami, in eodem capite, aſſerit.

Minor ex Galeno in lib. de rig. trem. & palpit. cap. 5. docetur: vbi de muliere hiſtoriam refert, cui tremor aduenit, cùm non eſſet purgata à partu: & à ſanguine oberrante per corpus, & Naturam grauante, quia tremor ille contingebat, ſanguinem in talo miſit, ex eo quòd, ſi Vterus affligebatur, inter Vteri, & tali, aut poplitis venas, maxima adeſt comunicantia, & ſubdit deindè „ *Alia enim alij corporis parti venam comunicat, oportetque vacuationes ſemper ex communibus moliri: nam ſi venas, quæ nihil parti affectæ comunicant, incideris, neque affectæ medeberis, & ſanam ſemper offendes.*

Eodem pariter argumento in Renum, vrinariæ Veſicæ, Teſtium,

Crurum,

Crurum, & Abdominis inferioris partis affectibus, in infernis venis ſanguinis miſſionem cócludere oportet, cùm iſtarum partium venæ, deſcendentis venæ cauæ ſint rami, vt his verbis loco allegato Veſalius teſtatur „ *Verùm ſoli renes, altera veſica, teſtes, & crura, & inferior abdominis pars, ab ea, quæ deſcendit cauæ parte, ſanguinem adipiſcuntur.* ergo cùm deſcendentis venæ cauæ rami, in infernis diſſeminentur partibus, iſtis idcircò affectis viſceribus, infernas neceſſe eſt incidere venas.

Confirmatur prætereà hæc ratio experiméto Naturæ; quæ in euacuationibus rectitudinem ſeruat: & aliam non quidem ob cauſam, niſi quia in eodem latere, venarum comunicantia eſt maior.

Dices: Liene turgente, ſanguis è ſiniſtra nare ſi erumpit, lienis turgentia ſanatur: euidens enim vtilitas celeriter oſtenditur, vt lib. de rat. cur. per ſang. miſſ. cap. 15. Galenus docet: ergo inter venas ſuperiores, & inferiores, mutua eſt comunicantia: ergo inferioribus affectis partibus, ſuperiores venæ poſſunt etiam ſecari.

Reſpondetur quòd in corpore comunicantia eſt duplex: alia enim eſt vniuerſalis, & mediata: & ſic adinuicem ſupernę & infernæ, dextrę & ſiniſtræ, anteriores, & poſteriores, inter ſe comunicant partes: alia verò comunicantia eſt particularis, & immediata: & ſic inferiores, cùm inferioribus tantum comunicant partibus, ſuperiores cùm ſuperioribus. Lien ergo vniuerſali comunicantia cùm ſuperioribus comunicat venis, non verò particulari: nam lien cùm ſit infrà ſeptum tranſuerſum, inter inferiores idcircò connumeratur partes.

Qua ſtante diſtinctione, ex eodem allegato Galeni textu, pro argumenti ſolutione infero ego, inter ſuperiores, & inferiores partes, nullam eſſe comunicantiam: & ratio eſt, nàm liene turgente è dextra nare erumpens ſangnis, vniuerſali comunicantia, nullam affert vtilitatem: ergo ita à pari inferiores partes vniuerſali comunicantia, non iuuantur à ſuperioribus.

Quod ſi liene turgente, ſanguis è ſiniſtra nare erumpens turgentiam ſoluat.

Reſpondemus, hoc per accidens eſſe, ratione ſcilicet ebullientis ſanguinis, qui caloris cauſa ſurſùm elatus, ob ſpirituum copiam, vt infrà dicam, narium venas diſrumpit, ſicut muſto efferueſcente, rumpuntur dolia, & vtres: hinc ſanguini, cùm melancolicus humor reperiatur admixtus, euacuato idcircò ſanguine, euacuatur etiam & ille: & ſic per accidens turgentia ſanatur.

Hæc prætereà, per nares euacuatio, reſpectu melancolici humoris quod non ſit naturalis, hoc eſt facta per conferentia loca. Patet ex hoc clariſſimè: nam melancolicum humorē, per ſedis venas natura euacuat: hinc Medicus, qui eſt Naturæ imitator, in talibus morbis,

narium venas non ſecat, ſed venas ſedis: quaſi quòd per has venas, melancolici humoris euacuatio ſit naturalis, & per has venas, Naturæ ſolùm recta ſint opera.

Decimaſeptima Ratio ex ijſdem infertur vitioſis humoribus, & primò a ſanguinis vitio in multitudine. Nam Vena Portæ ad ſuperiores non aſcendit partes, vt Doctores omnes vnanimiter docent: ergo in cubito cùm vena ſecatur, non ex toto corpore plenitudo exhauritur: ergo ad ſanguinis plenitudinem exhauriendam, in pede, & non in cubito, debet vena ſecari.

Conſequentia vltima patet. Nam vena caua aſcendens, cùm vena portæ, nullam habet comunicantiam: ex eo quòd vt diximus, ad ſuperiores non permeat partes, ſed comunicat cùm illa, tantummodo vena caua deſcendens; cuius rami ſecantur in pede: ergo ad ſanguinis plenitudinem exhauriendam, in pede, & non in cubito, debet vena ſecari.

Dices. in pede ex miſſione ſanguinis, corporis plenitudo exhauritur, quia deſcendentis venæ cauæ ſecantur rami, qui & cùm caua aſcendente, & cùm vena portæ comunicant: ergo pari modo in cubito ſecta vena, corporis plenitudinem exhauriet, ex eo quòd vena caua aſcendens, cùm deſcendente comunicat, & hac mediante, etiam cùm vena portæ, comunicantiam habet.

Reſpondetur diſparitatem eſſe: nam ex Galeni in 6. de Decretis Hipp. & Platon. cap. 3. ſuperius allegata doctrina, deſcendentis venæ cauæ truncus latiſſimus eſt, aſcendentis verò non ita latus, immò cordi, qui inſeruntur rami, anguſti ſunt, & hoc, aliam non ob cauſam, niſi quia craſſum ſanguinem, vena caua deſcendens, continere debebat, aſcendens verò ſubtilem: at ſanguis venæ portæ deſcendentis venæ cauæ ſanguine, eſt craſſior: ergo ſi deſcendentis venæ cauæ ſanguis, quia craſſus eſt, ad cauam aſcendentem non poteſt aſcendere, quantò magis non aſcendere poterit, venæ portæ, qui eſt craſſior ſanguis.

Decimaoctaua Ratio ex eodem ſanguine putrefacto deducitur. Nam ſanguis, non ſegregatis ab eo eius ſubſtantijs tenui nempè, & craſſa quando eſt putrefactus, magis craſſus, & lentus euadit: ſed craſſos humores, per inferiores venas Natura euacuat, quia ſuperiores, ex dictis, non poſſunt illos excipere: ergo putrefactus ſanguis, non per ſupernas, ſed per infernas eſt educendus venas.

Confirmantur iſtæ duæ rationes ex doctrina Oribaſij qui collectorum medicinalium lib. 7. cap. 20. tùm putridi tùm copioſi ſanguinis ratione, peſte affectos in Aſia Cruris, vt latius infrà dicam, ſcarificatione curauit.

Decimanona Ratio ex vitioſa bile accipitur. Nam bilis præter

naturam,

naturam, in concaua Hepatis generatur parte, & genita vel in felle aggregatur, vel ſi viæ ſunt obſtructæ, cum ſanguine permeat: ergo nõ per ſupernas, ſed per infernas partes vna ſimul cum ſanguine, putrida bilis debet euacuari.

Antecedens eſt clarum. nam in vno eodemque viſcere, vt 3. collig. cap. 3. Auerroes aſſerit, naturales, & præter naturam gignuntur humores, quando nempè viſceris complexio corrumpitur; intenditur nanque illa, & remittitur: ſed bilis naturalis in concaua Hepatis parte generatur: ergo bilis præter naturam generatur ibidem. Non nego tamen ego, extra Hepar, in corporis qualibet parte non ſolùm bilem, ſed humores alios præter naturam poſſe etiam gigni: nam præter naturam fiunt humores vſtione, vel putredine, vel mixtione: at extra Hepar, in qualibet alia parte poſſunt vri, putrefieri, & miſceri: ergo in qualibet alia parte, præter naturam gigni poſſunt humores.

Prima Conſequentia probatur. Nam cauſa remota remouetur affectus: ſed bilis præter naturam, Hepatis concaua pars intemperata eſt cauſa: ergo ne bilem generet Hepar, vel genitam, ad inferiores vt tranſmittat partes, Hepatis remouendo intemperiem, illius concaua pars debet curari: ſed non in brachio, vt diximus, ſed ſanguinis miſſione in pede, Hepatis concaua pars affecta, curatur: ergo tùm ad Hepatis intemperiem bilis feracem, attemperandam, tum ad infernas partes, humorem illum vt Natura diſcat tranſmittere, ex pede, ſanguis eſt extrahendus.

Duodecima Ratio ex bilis furore colligitur. Nam bilis furens ſuo impetu in ſuperioribus corporis partibus, partes principes ne offendat, periculum minatur: ergo non ex cubito, ſed inferiorum partium per ignobiles venas, venæſectione ſi debet bilis euacuari, euacuari debet.

Conſequentia patet. Nam ad nobiles partes vbi confluunt humores, vel ne confluãt eſt periculum, ad ignobiles, & quàm longè à nobilibus, ſtatim retrahi debent: at huiuſmodi partes non brachia ſunt, vt ſæpè diximus, ſed crura, & pedes: ergo in bilis furore ex infernis partibus, eſt educendus ſanguis.

Dices primò. Bilis cùm eſt furens, medicamento expellitur, vt 4. aph. 10. Hippocrates dixit ,, *Medicari in valdè acutis, ſi materia turget, eadem die: ergo non per venæſectionem euacuatur, nec in brachio, nec in pede.*

Reſpondetur me non controuertere, an in bilis turgentia venæſectio, vel medicamentum conueniat: in turgentia enim medicamentum conuenire ego concedo; attamen quia in illa, poteſt etiam mitti ſanguis tanquam remedium magis tutum, licet minus proficuum, vt ego opinor: comparando idcircò venæſectionem brachij & pedis,

illam

illam in pede conuenire aſſero, ab eodem Hippocrate ducens exemplum, qui bilem illam furentem non per ſupernas, ſed per infernas partes cuiuſmodi ſunt inteſtina, euacuat, à nobilibus pariter ad ignobiles, illam retrahens partes.

Dices ſecundo. Bilis in febre ardente per ſanguinis profluuium è naribus euacuatur: ergo etiam per ſuperiores partes, cubiti nempè venam, cùm illa eſt furens, euacuari poteſt.

Reſpondetur conſequentiam non valere: & ratio falſitatis eſt, quia nares non ſunt per ſe conuenientia loca euacuationis bilis, ſed per accidens, quatenus nempè illa reperitur cùm ſanguine qui in febre ardente, aduritur, & ſurſum calore incitatur, à cuius deinde ſanguinis ſpirituum copia, non poſſunt, vt 1. epid. ſect. 1. com. 9. non inflari, & non rumpi narium venæ, quemadmodum in muſto efferueſcente vtres, & dolia rumpuntur: bilis ergo cùm ſanguini reperiatur admixta, ad ſanguinis efferueſcentis effluxum, per accidens euacuatur & illa.

Confirmatur hæc reſponſio. Nàm delirium, ad febres cùm ſequatur ardentes, & ad delirium ſequatur mors: vt in febre ardente in illa conſtitutione ab Hippocrate in 1. epidemiorum deſcripta, cuius proprium erat delirare & mori; malè ergo conſuluiſſet Natura, in febre ardente bilis euacuationi, propè cerebrum deſtinarè locum, niſi per accidēs, & ratione feruētis ſanguinis, hæc bilis euacuatio fieret: hinc 3. de Cris. c. 3. præter ſanguinis profluuiū è naribus, ardentem febrem ſanari etiam docet, poſt vehementem rigorem, ſi per totum corpus ſudor calidus, & copioſus emanet, vel per vomitum, vel per aluum biliosa excernentem.

Vigeſimaprima Ratio ex pituita in Ventriculo putreſcente deſumitur, ſiue eius receptaculum, ſiue generationis locum, ventriculum eſſe, cùm Galeno tu credas. Nàm in ventriculo, alterius venæ non adſunt rami, quàm venæ portæ: ergo in ventriculo, cùm pituita putreſcit, non per ſupernas, ſed nonniſi per infernas venas, euacuari poteſt.

Antecedens in libro de venarum, arteriarumque diſſectione cap. 1. à Galeno ſic regiſtratur „ *principio igitur ſeptem venarū te commonere volo, quæ ad ventrem pertinentes, vno ex principio prodeunt, caua nimirum Iecoris parte, quam Portas vocant*. Et lib. 3. de humani corp. fabr. c. 7. hoc idem cōfirmat Veſalius, nullum ramum à vena caua aſſumere, ventriculum aſſerens: ergo in ventriculo, alterius venæ quàm portæ, non adſunt rami.

Conſequentia primi argumenti, eſt etiam clara. Nam ad cauam aſcendentem, nullum transfundit vena porta ramum: ergo non per cubiti venas, quę aſcēdētis cauæ ſunt rami, in ventriculo putreſcens pitui-

pituita euacuari debet,ſed per venas infernas,quæ vt ſuprà diximus, cùm portæ ramis comunicant.

Confirmatur principale Argumentum, ex Galeni ſententia in 6. epid.ſect.2. com.4. his claris regiſtrata verbis „ *Et ventriculum tenaci pituita refertum, exaſperantibus medicamentis, nonnunquàm detergemus. eiuſdem generis ſunt, & peſſi per ſanguifluas venas purgationes prorìtantes:* at ſanguifluæ venæ, vt ibidem com. 2. ipſe docet, venæ ſunt hemorroidales, ait enim „ *redundantes humores ſenſibiliter euacuare conuenit, aut vomitionibus, aut clyſteribus, aut per ani ſanguifluas vocatas venas, aut vterum &c.* ergo in ventriculo pituita putreſcens, in Galeni ſententia, per venas hæmorroidales, euacuatur.

Vigeſimaſecunda Ratio ex Atræ bilis inclinatione infertur. Nàm cuiuſcumque corporis fæces, ad inferiora, inclinant loca; vt in Vino patet, cuius fæx reſidet in fundo: ſed atra bilis eſt fæculentus humor: ergo ad inferiora inclinat loca: ergo ſanguinis miſſione, cùm illa eſt euacuanda, non per ſupernas, ſed per infernas, eſt educenda venas.

Vigeſimatertia Ratio, ex Naturæ inclinatione deducitur: non enim ex ſola humoris inclinatione, conferens euacuationis colligitur locus, ſed etiam ex inclinatione Naturæ „ *Oportet nanquè* vt 1. aph. com.21. dicit Galenus, *Medicum Naturæ inclinationem animaduertere; & ſiquidem idonea fuerit, ſubminiſtrare, & adiuuare: ſin autem contrarie ſimul ac noxie fiat, prohibere, transferre, atque diuertere oportet.* & ex Hippocratis verbis,in illo textu formatur ſic Argumentum. Quæ ducere oportet (ſcilicet quæ nequè iudicantur, nequè integrè ſunt iudicata, vt explicat in commento Galenus) quò maxime Natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit: ſed morbos, quos atra bilis cauſat, per infernas venas, non per ſupernas perfectè Natura iudicat: ergo cùm illi non iudicantur, vel non integrè ſunt iudicati, per infernas venas,non per ſupernas atram bilem euacuando,debet Medicus adiuuare Naturam.

Minor ex Hippocrate in 6. aph. textu 21.his verbis docetur, *In inſanientibus ſi varices, vel hæmorroides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio.* Et in 4. aph. com. 25. dicit Galenus „ *Re vera enimiam factæ melancholiæ maximum eſt remedium ſanguinis ex his venis (quas hæmorrhoidas vocant) profluuium: quam etiam, ſi futura ſit, prohibet.* & 6. aph. 11. ex Hippocrate habetur „ *Melancholicis & renum vitio laborantibus, hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum.*

Confirmatur tandē ex prouidētia.Naturę,quæ vt diximus,in infernis partibus cōueniētia tali humori deſtinauit loca. Circa anum etenim, non ſolùm venæ portæ ſunt rami, hemorrhoides ſeu ſanguifluæ

dictæ venæ;ſed etiã ex interiori propagine ſiniſtri trunci deſcendentis venæ cauę,rami diſſeminantur,vt 3.de humani corporis fabrica c. 9.Veſalius docet,ad quos,fæculentiam in vena caua exiſtentem, Natura deponit, quemadmodum ad venæ portæ ramos, ſimiliter Natura eadem operatur.

Sed Quæres. Si vena portæ, cùm vena caua aſcendente non cõmunicat, vndè ergo inter cerebum, in quo venæ cauæ aſcendentis diſeminati ſunt rami,& has venas hæmorrhoidales, quæ à vena portæ oriuntur, tanta eſt comunicantia, vt cerebri affectiones, hæmorrhoides ſanent.

Reſponderi poteſt primò quod duplex ex Galeno in 7.aph. 30. communicantia colligitur: Hippocratis nanquè aphoriſmum illum commentans „ *Quibus in alui profluuijs excrementa ſpumoſa ſunt, ijs ex capite pituita defluit.* duplicem pituitæ illi, aſſignant viam: poſtquàm etenim per aſperas pulmonis arterias ad cordis ventriculos pituita peruenerit,tunc „ *duorum alterum eueniet*, ibi inquit, *aut primum per cauam venam ad gibba Hepatis,deindè illinc ad caua, & ità per portas ad inteſtinorum inuolucra, aut primùm quidem ad magnam arteriam, deinde ſic ad illam, quæ eſt in meſenterio.* Eſt ergo inter hæmorrhoides,& cerebrum comunicantia duplex: prima eſt per venas, nàm quando humor ad portæ venam deuenerit, non ità ad inteſtinorum inuolucra, quàm ad hæmorrhoides venas deponi poteſt. Secunda comunicantia eſt per arterias: ex eodem nanquè arteriæ magnæ trunco, vt 3. de humani corporis fabrica cap.13.Veſalius docet,lienis & menſenterij arteriæ oriuntur: & ſic ab arteria magna ad truncum, quando emittitur humor, à trunco poſteà ad lienem, & ad meſenterium, humori, æqualiter via paratur; & à liene tandèm ad hæmorrhoides.

Verum quia, dubius in hac reſponſione videtur Galenus: ex eo quòd ſi per tot venas, & ſanguini commixta pituita pertranſit, quo modo ergo ſpumoſa adhuc, illa remanet? Præterea quamuis ad Lienem,ex arteriæ magnæ trunco,arteriæ pertingant, nulla tamèn neceſſitas eſt, quòd ab arterijs hæmorrhoides trahant, & non à venis.

Adde etiam, quòd non quia per aliquam partem Natura euacuat humores, benè idcircò inter illam partem per quam euacuãtur,& illam,ex qua expellũtur, naturalis comunicantia colligitur, ſeu per illam partem euacuandi, Naturæ inclinatio. Nàm vt 7. aph.com. 54. dicit Galenus „ *viam ſemper materiebus inuenire Naturam, Hippocrates opinatur, quando valida fuerit: etiam ſi quammaximè ſint craſſæ, & per anguſta foramina debeant permeare, quandò & in oſſibus fiant, inquit, abſceſſus.* Non ergo per has vias oppreſſum,quia ſe exonerat cerebrum,

per

per has vias idcircò, inter cerebrum, & hæmorrhoides communicantia adeſt, & per illas euacuandi, Naturæ eſt inclinatio: nám hæmorrhoides ſectæ, cito, & ſenſibiliter à capite trahunt & per has, quòd trahant vias, fieri non poteſt: ergo inter cerebrum, & hæmorrhoides, per has vias, naturalis non eſt comunicantia.

Antecedens quoad primã partem eſt clarum: per has etenim venas extracto ſanguinem, ſtatim caput exonerari quotidiana docet experientia. Quoad verò ſecundam partem, per has ſcilicet, quòd trahant vias, fieri non poſſe, eſt pariter manifeſtum: nám à capite, venam, ad trahendum humorem per arteriam, ſibi viam parare, & non per alias ſibi continuas, aut vicinas venas, Naturæ non poteſt eſſe conſilium. Sic prætereà per caudicem venæ cauæ, à capite ſi hæmorrhoides trahant humores, aſſignari non poterit ratio, cur magis à capite, & non ab alijs ſuperioribus partibus trahant, ſi indifferenter ad omnes ſuos ramos, aſcendens vena caua ſe habet. Aliæ ergo, hæmorrhoidum ad cerebrum, excogitandæ ſunt viæ, vnde

Reſpondetur ſecundò, notando primum, quòd inter partes non ſolum per venas comunicantia eſt, ſed etiam per arterias, & neruos, & quòd prætereà inter neruos, arterias, & venas, vt 6. aph. com. 26. docet Galenus, humorum noxiorum adinuicem eſt transfluxus. Inter ventriculum, & cerebrum eſt vlterius adnotandum ſecundò, non per venas, ſed per arterias, & neruos comunicantiam eſſe, cum ventriculi venæ ſint venæ portæ rami, qui ad cerebrum non aſcendunt: at ex arteria magna, per tranſuerſos ceruicis vertebrarum proceſſus ad caluariam cùm demandetur ramus; & ex elatiori deinde ſui corporis ſede truncus exoriatur, qui ad ventriculum, necnon ad alias etiam diſſeminetur partes, ſequitur idcircò vt inter cerebrum, & ventriculum, per arterias adſit comunicantia: ſed maiorem per neruos, in 3. de loc. aff. c 7. communicantiam eſſe his verbis Galenus affirmat, *Nam cerebrum ventriculo, & ventriculus cerebro ſuas affectiones tranſmittit, idque propter neruorum à cerebro ad os ventriculi deſcendentium magnitudinem, per quos etiam ſenſus huic particulæ, quàm vlli reliquarum corporis partium, acutior eſt.*

His itaque ſic notatis, Reſpondetur dicendo, quòd ad ventriculũ ex vena portæ inſigni amplitudine cùm permeent venæ, infinitique diſſeminentur rami, ſequitur conſequenter, quòd apertis hæmorrhoidibus exhauriantur etiam ventriculi venæ: quæ poſtea ieiunæ, redditæ; attrahendi facultatem cùm habeant ex 4. de rat. vic. com. 1. & ex alijs venis trahere cũ non poſſint, cũ præter venæ portę ramos, non alij in ventriculo adſint, ab arterijs trahunt, & neruis, qui cerebro cùm comunicent cerebrum exindè exhauriunt: & ob hanc

cauſam, iſtarum venarum apertio, cerebri affectiones ſanat.

Confirmatur hæc reſponſio. Nam lien, in omnium ferè Medicorum ſententia, vt 5. lib. de humani corporis fabrica cap. 9. Veſalius teſtatur, non omne quòd à Iecore recipit, illud concoquit, & in ſui nutrimentum reponit, ſed quod ſupereſt, per magnam, & inſignem venam, ex venis ad ipſum adeuntibus exortam, ad ſuperius ventriculi permeat orificium, quamuis in hoc Doctoribus iſtis contradicat Veſalius, & ad ventriculi fundum adire illam concedat: hinc expletis, talis ſucci vſibus, vt nempè acida ſui ſaporis qualitate, ventriculum conſtringat, ne incoctus elabatur cibus, cum ventriculi actiones in amplexu conſiſtant, appetitumque excitent, ad inteſtina talis humor deponitur, & vel cùm fæcibus expurgatur, vel ad hemorrhoidas decurrit, quæ in fine recti inteſtini circa anum diſſeminatæ videntur; in quibus poſteà melancolicus collectus ſanguis, menſtruarum inſtar purgationum, ſtatutis interuallis venularum reſeratis oſculis, euacuatur. Ex quibus doctrinis eſt colligendum pariter, quòd ventriculo affecto, cerebrum ſi quando compatitur, per hemorrhoidas ſanatur, non aliam eſſe cauſam, quàm quòd per hæmorrhoidas, ventriculi exhauriuntur venæ, quibus exhauſtis, cerebrum non deindè compatitur, & ſic veluti repentè, illius ceſſant affectiones.

Vigeſimaquarta Ratio ex Articulis affectis accipitur. Nàm in Articulis exiſtentes humores, ad nobiles ſi retrahuntur partes, mortem ſæpè inferunt, niſi iterum reuocentur ad artus, vel per infernas euacuentur venas: ſed venæſectio in brachio, humores ab articulis, ad ſuperiores, & nobiles reuocat partes: vt ex multoties dictis, iam clariſſime patet: ergo in morbis articularibus, non per ſupernas, ſed per infernas venas, eſt educendus ſanguis.

Maioris prima pars ex Galeno in ſecundo de Natura humana com. 5. his verbis regiſtrata habetur „ *Nanque melius eſt, vt ſucci contriſtantes à præcipuis partibus, in minus præcipuas migrent: ſed à viliſſimis in præſtantiſsimas, nequaquam. Sæpius enim vidimus, hominem interire, cui ſucci in dolore articulorum, & podagra in artus delati exinde expulſi, ad principem partem peruenere: & eſſe quidem vnicam ſpem ſalutis, ipſos, ſi fieri poſsit, rursùm ad artus reuocare.*

Secunda maioris pars, ex eodem Galeno probatur in 6. epid. ſect. 6. com. vlt. vbi ſic ait „ *Quinetiam atram bilem hæmorrhois .i. ſanguiflua plerunque incipientem prohibuiſſe, & iam effectam remouiſſe, necnon & duratum lienem, ſanauiſſe conſpecta eſt. At vari-*

ces quoquè hos ipſos morbos, podagras præterea, & artuum dolores diſcutiunt.

Vigeſimaquinta Ratio ex febrium differentijs colligitur, à materia deſumptis: & primò ab Hectica, & Ephemera. Nam in his febribus ſanguinis miſſio ſi conuenit, non alia conuenit ratione, quam refrigerij cauſa: ſed ex infernis venis, ratione refrigerij, vt in ſuperiori diximus ratione, eſt educendus ſanguis: ergo in Ephemera, & Hectica, ſi debet ſanguis educi, ex infernis eſt educendus venis.

Vigeſimaſexta Ratio ex tribus putridarum febrium differentijs deſumitur, Quotidiana ſcilicet, Quartana, & Tertiana, ſiue intermittentibus, ſiue continuis, ſiue ſimplicibus, ſiue complicatis, necnon etiam ex febre ardente, quæ à tertianà exquiſita, ratione loci, in quo putreſcit humor, tantummodò differt: & arguitur ſic. Nam quotidiana, vt 1. ad Glauc. cap. 5. Galenus fatetur, ex ventriculi ore patiente cauſatur, quartana ex male affecto Liene, & Tertiana ex Iecore laborante; ex quo etiam febris ardens exoritur: ſed os ventriculi, Lien, & Hepar, quod ſecundum cauam, non gibbam partem afficitur, cùm patiuntur, non ex ſuperioribus vt diximus, ſed ex inferioribus venis, ſanguinis miſſione curantur: ergo in iſtis febribus, non ex brachijs, ſed ex infernis venis, eſt educendus ſanguis.

Minor ex antedictis patet. Nàm in ore ventriculi, liene, & gibba Hepatis parte, non aliæ diſſeminantur venæ, quàm venæ portæ rami, qui cùm inferioribus deſcendentis venæ cauæ ramis tantùm comunicant. At quòd in febre ardente, & per conſequens in tertiana, Hepatis gibba pars offendatur, ex Galeno in 1. epid. ſect. 1. num. 9. his verbis habetur „ *Neque enim in quibuslibet corrugatus partibus corporis, febrem poteſt humor hic (ſcilicet bilis) excitare ardentem, verùm circa ventriculum, & huius præcipuè os, circaque Iecinoris partes ſimas.*

Vigeſimaſeptima Ratio ex Cronicis accipitur morbis. Nàm cronicorum morborum materia eſt craſſa: ſed craſſi humores in infernis, non in ſupernis reſident venis, vt ſuprà nos diximus: ergo in cronicis morbis, non ex ſupernis, ſed ex infernis venis, eſt extrahendus ſanguis.

Vigeſimaoctaua Ratio ex Indicatione à viribus deſumpta infertur. Nàm in peſtilenti morbo ratione virium, quæ vel ſunt imbecilles, vel ne fiant, eſt timor, non mittitur ſanguis, cùm tamen illum mittere ſit conueniens: ergo in peſtilentibus morbis, ſanguis quando extrahi debet, ex pede potius, quàm ex cubito, ille eſt educendus.

Antece-

Antecedens ex Galeno patet in libro enim de cibis boni, & mali ſucci capite 1. de Peſte hiſtoriam refert, ad Annonam ſequuta, in qua ægrorum vires, ne citius fortaſſe reſoluerentur timentes, perpaucis initio morbi venam incidere, nonnulli medici audebant: cùm tamen omnibus, ſanguinis miſſionem iubere neceſſarium fuiſſet, ex eo quòd vitioſus adeò ſanguis erat, vt diſſecta vena, ægrè deinde ad cicatricem coiret.

Conſequentia etiam patet. Nàm in infernis venis, ſanguis cùm ſit fæculētus, ex eius idcircò eductione, non ita debiles redduntur vires, quemadmodùm ex ſuperioribus venis, ſi ille educatur, vt ex Apollonij doctrina colligitur, 7. colliget cap. 19. ſic referente Oribaſio: magis nanque ſuperiorum venarum ſpirituoſus eſt ſanguis, cum à ſpirituum fonte ſit minus diſtans.

Vigeſimanona Ratio ex Pemphingode accipitur, ſeu peſtilenti febre, epidemia ſiue illa ſit, vt Peſtis, ſiue priuata, quæ vel citrà peſtem, ex 3. epid. ſect. 3. com. 57. mortales etiam offendit. Nàm in peſtilentibus his febribus, peccantes humores ſunt atrabilares, & craſſi: ſed atræ bilis, conuenientia euacuationis loca, ex iam ante dictis; non ſuperiores, ſed inferiores ſunt venæ: ergo tùm in priuata, tùm in epidemia peſtilenti febre, non ex ſupernis, ſed ex infernis venis, eſt educendus ſanguis.

Maior clariſſimè ex Galeno probatur in 6. nanque epid. ſect. 1. com. 29. Pemphingodes, hoc eſt peſtilentes febres, non ſolùm ab Hippocrate, illas dici, Galenus aſſerit, in quibus calor ob putredinis excellentiam differt ab alijs: non enim aut magnus, aut mordax eſt, quamuis interius exurenti adeò ægri flagrent incendio, vt nequè linteolorum velamenta, nequè aliud, præter nuditatem ferre poſſint: ſed etiam „ *aſpectu terribiles*, ab eodem Hippocrate, febres iſtas appellari, docet idem Galenus: & non aliam refert ob cauſam; niſi quia cùm puſtulis illæ ſunt. Quæque huiuſmodi peſtilentes febres, tùm in peſtilentia, quam Thucydides narrat, tùm in illa, quam ſuis fuiſſe tempōribus, loco allegato, teſtatur Galenus, obſeruatæ fuere. Sic etiam in peſtilenti illa tempeſtate, quam 3. epid. ſect. 3. deſcribit Hippocrates, & vlcera, & excreſcentias, quas fungos vulgò vocant, & carbunculos, & papulas magnas cùm febribus expullulaſſe refert: ſed hæc omnia ab atrabilari, & craſſo dependent humore: ergo in peſtilentibus febribus, peccantes humores ſunt atrabilares, & craſſi.

Minor patet; nam Carbunculus, ex loco allegato com. 50. ex calido quidem feruore, verum craſſa materia conſtituitur: at materia craſſa aduſta, quid aliud eſt niſi atra bilis? Sic & papulæ, excreſcentiæ, puſtulæ, & ſerpentia vlcera, vt ibidem à tex. 48. vſque ad 54. ex Galeni doctrina colligitur, ex craſſis etiam, & aduſtis dependent

humo-

humoribus: nam *tenues humores*, vt com. 51. dicit, *Exulcerationem potius, quàm tumores creant: at craſsi in tumorem pellem attollunt:* Sed craſſi humores adulti, atrabilares ſunt: ergo hæc omnia, ab atrabilari, & craſſo, dependent humore.

Confirmatur prætereà ex iſtis Galeni verbis, 5. meth. cap. 12. regiſtratis, quòd nempè ex peſtilentia laborantes, qui euaſuri erant, *ijs puſtulæ, quas Exanthemata vocant, nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt, vlceroſæ quidem plurimis, omnibus certè ſiccæ. Eratque intuenti perſpicuum, reliquias eas eſſe ſanguinis, qui in febri putruerat, quas veluti cinerem quempiam Natura ad cutim truſiſſet:* Sed cinis ſanguinis, atra bilis eſt: ergo in peſtilentibus febribus, atrabilares ſunt, peccantes humores.

Trigeſima & vltima Ratio ex malignis febribus tandem deducitur. Nàm in malignis, & deſperatis febribus, non alia eſt ſpes ſalutis, quàm quòd malignus humor ad infernas decumbat partes: ſed humores ad ſupernas retrahit partes, in cubito ſecta vena: è contra autem ad infernas in infernis venis inciſio: ergo in malignis, & deſperatis febribus, non ſupernæ, ſed inferiores ſunt incidendæ venæ.

Minor ex Galeni doctrina in lib. de rat. cur. per ſang. miſſ. cap. 18. colligitur, ibi enim de vteri loquens inflammatione ſic ait, „ *Porrò vteri inflammationes magis etiam quàm renum, à venis in crure ſectis, iuuantur. Nàm quæ ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiam habent adiũctum malum: nempè quòd purgationes menſtruas comprimant, ſanguinemque ad ſuperiores corporis partes retrahant. Quæ verò fiunt ex cruribus, tantùm abeſt, vt retrahant, vt etiam menſes promoueant:* ergo ita à pari, putridi in ſanguine, ſi continentur humores, ex cubiti ſectione ad ſupernas partes, ſi retrahitur ſanguis, ad ſupernas quoquè partes, putridi retrahuntur humores.

Maior autem principalis argumenti, in qua potiſſimum eſt difficultas duabus ab Hippocrate regiſtratis hiſtorijs, comprobatur.

Prima de Herophonte eſt, 1. epid. ſect. 3. Ægroto 3. deſcripta: fuit iſte febre acuta correptus: nigræ, & tenues erant vrinæ: biliosa, tenuia, & plura excernebat aluus: quibus poſteà repreſſis, obſurduit, & deſipuit: ad lienem verò, deinde ad crura, humoribus demigrantibus, ſanitati fuit reſtitutus. In commento autem ſic habet Galenus, *Hic præter expectationem ſuperſtes fuit, quem ſcilicet primis diebus meritò moriturum ſuſpicatus eſſes. Etenim nigra minxit, & excrementa alui biliosa, repreſſa, inſecuta ſurditas eſt, vt quæ in caput aſcenderãt: vndè non immeritò deſipuit. Nihil verò erat boni, quòd vrinas nigras, quę quidem erant prauæ, compenſaret, niſi quòd Lien die quinto intumuit, excepta parte malorum humorum. Deinde die octauo cùm ex Liene in crura tranſirent, hinc diminuebatur &c.* & propè finem commenti, hæc habet verba,

Tanti

Tanti ſcilicet erat deceſſiſſe, quæ moleſta erant, ad partes imas, vrinæque concoctio.

Secunda hiſtoria eſt de Critone in Thaſo, ibidem, ægroto nono delineata. Ex pollice pes dolere cum iſti cœpiſſet, eodem die decubuit, & nocte deſipuit. Altero die tumor toto pede, & ad talum, vrinæ nigræ, deiectiones bilioſæ, febris acuta, inſanijt. Poſtridie per ijt. De huius autem tàm ſubitanea morte, rationem in commento his verbis aſſignat Galenus „ *Nunc ex illis, quæ ſcripſit, copia humorum per multa fuiſſe videtur, quos Natura eſt à principibus partibus ad crus molita, deriuare: cùm id membrum omnem capere non valeret ſuperfluitatem, reſiduum recurrens, ad caput aſcendit, quod, qua erat malignitate, furioſum delirium excitauit. Malignitatis excrementi erat iudicium, quòd puſtulæ nigræ generarentur ad talum.*

Non alia ergo in malignis, & deſperatis febribus, ex duabus hiſce, vt colligitur hiſtorijs, quàm quòd malignus humor ad infernas decumbat partes, eſt ſpes ſalutis. Et ſic in omnibus tandem malis, infernarum ſectio venarum quàm tutiſſima ſit, & neceſſaria, ſupernarum autem è contra, quantis ſcateat periculis, & quàm ſit pernicioſa, ecce iam triginta vijs, luce clarius eluceſcit.

Sed opinionem hanc ad confirmandam, plures forſan excogitare oportet rationes? Vel graues fortaſſe, quòd mihi non faueant Auctores, mea erit idcircò, reijcienda ſententia? Vel ab Hippocrate, & Galeno, ſi recedere videor, tanquam vana loquentem, me derelinquent omnes? At fallit, ſi hæc quis credat. Meas nanquè rationes ſufficere, Aduerſariorum impugnationes oſtendent. Illuſtres viros mecum ſentire, Antiquorum demonſtrabunt doctrinæ. Ab Hippocrate tandem, & Galeno, me non recedere, talium Doctorum mentis, accurata inquiſitio, à calumnia me vindicabit.

Ab antiquis ergo Medicis, vt rem exordiar (de mearum nanquè inefficacia rationum, alios contradicentes niſi audiam primò, non eſt quod ſcribam) ex infernis partibus miſſionem ſanguinis, quammaximè ab illis celebratam fuiſſe, ſi quis credere nolit, ſexcentos alios vt ſileam Auctores, Apollonium legat, Hippocratis, in 3. de vict.rat.in morb.acut.com.42. Galenus vt refert, qui fuit diſcipulus: non ſolùm enim ad tuendam ſanitatem: ſed ad illam recuperandam, ex ignobiliſſimis partibus nempè cruribus, ſanguinis fieri eductionē præſtantiſſimum eſſe auxilium, Doctor iſte exiſtimauit: & maximè per ſcarificationem ſi extrahatur ſanguis, cùm hæc ſine moleſtia, & citrà validam totius corporeæ molis commotionem, plethoram ſolnat mediocrē: quòd ſi abūdè & affatim in maximis periculoſiſſimiſq; affectibus ſanguinem effundere oporteat, non tantum in infernis partibus ſcarificationem, ſed venas etiam ſecari commendat: immò

& venæ inciſionem in his caſibus ſe nunquam omiſiſſe, ipſe fatetur.

Mulieribus prætereà, quibus proſperè purgatio non ſuccedit, ſcarificatio, vel ſanguinis, hirudinibus, aut ſcalpello eductio quòd mirabiliter auxiliatur Apollonius etiam aſſerit: immò & illis, ratione ætatis quibus iam menſtrua defecerunt, ex infernis partibus, educi ſanguinem debere contendit. Qua in re, ò quot Medici aberrant: non ſolùm enim in conſeneſcentibus fæminis, ſed in iuuenibus etiam, in morbos cum incidunt, ſemel, aut ſaltem bis, ex pede educto ſanguine, quantitate forſan, quæ defectui correſpondere potuit, ad ſuperiorum venarum ſectionem deueniunt, & ægrotantes mulieres, niſi eas vel morbi debilitas. vel virium robur, vel alio modo Natura adiuuerit, ſæpè ſæpius occidunt. Huius autem erroris ratio, ex iſtis Apollonij verbis iam facile patet,,, *Ego ſanè etiam valdè ætate proue-ctas, quibus iampridem nihil menſtrui ferebatur, vbi aliqua corporea mole-ſtia conflictarentur, hac curatione ſubleuo. Hæc enim mulierum propria eſt, multumq; habet efficaciæ: quippe quæ naturalis excretionis modum imitetur.*

Sanguinis, vlterius, ex infernis venis eductionem, alijs pariter conferre malis eiuſdem Doctoris ſententia eſt: morbos nanque, principes omnes qui afficiunt partes, hoc præſidio curaſſe, ipſe fatetur. Hinc nutritioni ſi naturalis pars eſt dicata (à naturali vt incipiam parte) bonam, non aliud quidem auxilium, nutritionem inducere aſſerit, quam ſanguinis ex infernis venis emiſſionem: malum autem nutrimentum, quos pariat morbos, & tali quòd curentur illi remedio, ipſe non ponit: ſub ſepto enim tranſuerſo naturalia ſi collocantur viſcera: & ſub ſepto tranſuerſo, ex infernarum ſectione venarum, in communi ſententia, naturales ſi adiuuantur partes; Caſus idcircò ponere, quorum, ſanguinis ex infernis venis extractio, quam maximum fuit præſidium, vt ſatis ſuperfluum, ingenioſus hic Doctor, exiſtimauit:

Scarificatis prætereà cruribus (ad animalem vt deſcendam partem) affecto capiti mederi teſtatur. Anginam quoque ſic ſanari affirmat. Et ex longo tempore, ab inceſſabili fluxione affectos oculos, cùm quidam haberet, hoc refert præſidio, fuiſſe curatum.

Senem deniquè (vt de vitali parte exempla afferam) ſtrangulante circa pulmonem anguſtia, vexatum, ſimili modo curatum eſſe pronunciat: Sic lateris teſtatur ſanari dolores: & Cor tandem à Peſte ſi quàm maxime debellatur, talem his verbis ſcribit, ſibi ipſi qui contigit, de Peſtilentia caſum,, *Et ſanè dum Peſtilentia vehemens Aſiam de-prehendiſſet, multoſque perdidiſſet, meque etiam morbus attigiſſet: Secunda morbi die, remiſſione febris facta, crus ſcarificaui, duaſque fere ſanguinis li-bras detraxi, hacque de cauſa periculum vitaui. Plerique igitur etiam alij, hoc preſidio vſi, ſuperſtites euaſere: erant enim plenitudinis ſigna: illique*

N *præci-*

præcipuè ſaluabantur, qui ſanguinem copioſum exhauriebant.

Quas omnes doctrinas ex Apollonij libris de ſcarificatione, in 7. colliget cap. 19. & 20. non tantummodo Oribaſius colligit, ſed illas quoquè ex Apollonio colligere non dedignatur Galenus. Galeno nanquè eſt Apollonius antiquior: Hippocratis enim fuit ille diſcipulus: & iſtę doctrinæ, quas in lib. de Cucurb. & Scarif. Cap. 4. affert Galenus, ſunt Apollonij, vt in Oribaſij ex Apolonio, collectaneis manifeſtum apparet.

De Hippocratis tandèm & Galeni Sententia, an videlicet ad eorum mentem, mea ſit Concluſio, ſoluendus remanet ſcrupulus, ab erroribus abſoluta, mea in totum vt reddatur opinio. Sexcentis nanquè in locis, in omnibus morbis, ſuperiores qui infeſtant partes, ſanguinem ex cubiti venis educi debere, clariſſimis Medicinæ illi parentes, commendant verbis.

At re vera, accurate Hippocratis, & Galeni mentem ſi contemplemur, ab eorum doctrinis ne minimum quidem, me recedere, vnuſquiſque cognoſcet. Pro huius autem claritate, eſt adnotandum primò, quòd ſanguinis, Antiquorum temporibus ad animi vſquè deliquium, vel maximà faltem erat detractio: hinc primam, vltimamque ætatem, necnon & grauidas mulieres, hoc auxilij genus ſuſtinere non poſſe, Antiqui illi exiſtimabant: noſtris autem temporibus, ſanguinem, pauca, ex eo quia educimus in quantitate, vtero gerentes non ſolùm idcircò, ſed ſenes, & pueros hoc præſidio adiuuamus: quam doctrinam lib. 2. cap. 10. Antiquorum deſcripta ſententia, his verbis ſatis claré Celſus affirmat „ *Poſteà vero vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum aliaſque potiores obſeruationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Intereſt enim non quæ ætas ſit, nequè quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Ergo ſi iuuenis imbecillus eſt, aut ſi mulier, quæ grauida non eſt, parum valet, male ſanguis emittitur. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & grauida mulier valens, tutò curantur.*

Notandum eſt ſecundo, quòd celeriter corpus euacuat, interna dextri cubiti vena, vel aliqua, ſic hæc non compareat, vt in 2. de rat. vict. com. 10. habetur, eiuſdem brachij altera, cùm omnes vt dicam, ab eadem axillari vena pocedant.

Notandum eſt tertio, quòd aliam non ob cauſam, internam dextri cubiti venam ſecauit Hippocrates: niſi quia velociſſimè corpus euacuat: in 4. enim de rat. vict. tex. 24. dum inquit Hippocrates „ *Venam igitur brachij dextri internam, ſecare oportet*: ſic habet in commento Galenus „ *Velociſſimè, & plurimum ex ijs, quæ principes ſunt, partibus vena ea corpus vacuat, atque ob id in acutiſſimis morbis ad eam ſe ſe confert.*

His

His notatis, ad difficultatem reſpondens, ſic à ſcrupulis me abſoluo: hinc aſſero, quòd quia antiquitus, in maxima ſanguis extrahebatur copia, & corpus, quæ tàm celeriter, & velociſſimè euacuarent, ad Galeni, & Hippocratis mentem, non aliæ, quàm cubiti, aderant venæ; in ſuperioribus idcircò partibus vitioſam ſtagnantem materiam, ad infernas, & ignobiles partes tranſmittere, illi Antiqui non iudicarunt, ſed per eaſdemmet ſupernas euacuare decreuerunt: ex eo quòd ad animi vſquè deliquium, vel ad coloris vſq; mutationem, ſi antiquitus ſanguis extrahebatur, adeò vt per tàm largam ſanguinis miſſionem, tota peccans educeretur materia, optimo quidem iure ab Hippocrate, & Galeno ſuperiores tunc temporis incidebantur venæ: nam totius vitioſi humoris, ob velociſſimam per has venas euacuationem, nulla corpori imminebat ruina, quam humor ille in eius, ſupernis nobilibus partibus, moram faciens, poterat machinari. Noſtris autem temporibus, vnanimi Medicorum conſenſu, tàm largè mittendi ſanguinem ſi iam ceſſauit vſus, à ſuperiorum quoquè ſectione venarum, nos pariter ceſſare debemus: non aliam dummodò ob cauſam, ex allegato textu in 4. de rat. vict. ſuperiores, ſi antiquitus aperiebantur venæ, quàm quòd illæ plurimùm, & velociſſimè euacuant: vndè iſtis temporibus, ſi Galenus, & Hippocrates eſſent, ſanguinis in magna copia eductionis, antiquum à longo, per tot ſæcula, experimento, deſtructum ſi conſpicerent vſum, ſuperiores quidem non amplius, ipſi ſcinderent venas: illas nanquè incidendi, plurimum & velociſſimè corpus euacuare, ipſorum, ſi fuit ratio motiua. Et ecce mutatis temporibus, Hippocratis, & Galeni doctrinæ, ſic mihi, deueniunt amicæ.

DE SALVATELLÆ autem ſectione, an videlicet ſit illa conueniens, magna exoritur difficultas.

Sanguinis ex hac vena eductionem, in ſuperioribus cùm celebretur partibus, meis principijs ne contradicere videar, ob iam dictas rationes, confutare ego deberē. At quoniam ſummis laudibus extollit illam Galenus: tùm quia per inſomnia de tali inciſione fuit monitus: tum quia mirabiles ex illius apertione, ſequutas fuiſſe experientias refert; ex hac idcircò vena, ſanguinis miſſionem impugnare non audeo: vera etenim nunquàm eſſe inſomnia dicerem: immò & ipſam quoquè experientiam negarem: at primum, eſt contrà Ariſtotelem, vera eſſe aliquando, qui conceſſit inſomnia: Secundum, eſt contra Galenum „ *Admiratione* nanquè *dignum eſt*, ſic 9. de decretis Hippocr. & Platon. cap. 6. ait, *Quòd Medici altercentur, an iuuerit remedium, an læſerit, dùm experientia decernit*.

Quam ergo ob cauſam, meæ doctrinæ abſquè quo ſim contrarius, Saluatellæ apertionem concedam, in præſenti demonſtrare cona-

bor: pro iſtius autem eſtenſione, cuius venæ Saluatella ſit ramus, eſt primò examinandum.

A vena Caua, duæ in brachium propagantur venæ, lib.3.de humani corporis fabrica cap. 8. vt Veſalius refert: à Iugulari exoritur vna, quæ Humeraria dicitur, vel Cephalica, vel Externa: Axillaris eſt altera, quæ Baſilica etiam, Interna, & Iecoraria appellatur.

Humerariæ autem venæ, eſt triplex ramus. In trunco inſpicitur primus, cùm axillari vena antequàm coeat: in cubiti medio eſt ſecundus, quandò cùm axillari coit: & ex illa, & axillari conflatur vena Communis: ad manum errabundus deſcendit tertius, quique inter paruum digitum, & anularem diſſeminatus, Saluatella dicitur.

Axillaris prætereà, iam ſuperata axilla, brachium ingrediens, in duos diuiditur truncos, quorum alter in brachij profundo ſe abſcondit: Sub cute in anteriori brachij ſede, excurrit alter, & in cubiti medio cum humeraria coiens, Communem venam efformat, varioſque deindè per vtranque brachij ſedem, anteriorem nempè, & poſteriorem diſſeminando ramos, inter indicem deniquè, & pollicem ſe propagat.

Communis tandèm vena, ab axillaris, & humerariæ ramis vna ſimul coeuntibus conflata, deorsùm oblique per internam cubiti deſcendit ſedem, & per internam poſteà excurrens, ramulos ad indicem, & pollicem non ſolùm diffundit, ſed ad indicem, & medium: immò & vſquè ad anularem ſe quoquè inſinuat.

At de humerariæ, ſeu Cephalicæ venæ exortu, apud omnes Anathomicos, non eſt eadem ſententia. In Brutis nanquè, quorum cadauera in magna copia obſeruauit Galenus, a Iugulari externa, Cephalicam exoriri, cùm Galeno Doctores omnes affirmant: in hominibus verò, quorum cadauera Galenus vel pauca inſpexit, a Iugulari talem ortum, quampluriml, Cephalicæ negant, & ab axillari, pronaſci illam contendunt. Quæ doctrina, apud claros Anathomicos adeò vera exiſtimatur, vt ſe erraſſe, Galeni ſcribendo ſententiam, Axillaris potius Humerariam eſſe propaginem, cum dicere debuiſſet, in venæ cauæ indice, fateatur ipſe Veſalius: & ſuis oculis derogans fidem, Galeno nimium credens in Galenum pietati, hunc aſcribit errorem.

Collige ex his primò, quàm venam in cubiti incidendo venas, Medicorum eſſe electionem; in capitis nempè affectibus Humerariam, ab illis, hanc ob rem, Cephalicam dictam; in Iecoris paſſionibus, Iecorariam; & in vtriuſque vitijs, Communem venam, cùm ſecari decernant. Ab eadem nanque Axillari, omnes cubiti venæ cum

tra-

trahant originem; omnes ſequitur, quòd æqualiter ſecur exhauriũt: hinc nulla exhibita regula, in brachij venarum inciſione, per ligaturam, quæ vena magis attollitur, illam eſſe incidendam, exiſtimo: nàm alijs, cùm ſanguine abundare magis appareat, exhauriri indigere magis quàm aliæ, illa demonſtrat. Nomina pariter talibus, quæ veteres Medici impoſuere, venis, vt Cephalicam, Iecorariam, & Communem, ego reijcio: nec aliam inter has venas, præter quàm à ſitu diſtinctionem concedens, à diuerſo ſitu, diuerſa tantùm illa nomina admitto: hinc Axillaris venæ truncus ille, per exteriorem brachij ſedem, ſeu per humerum, qui excurrit, Humeraria & Externa dicitur vena: ſub cute autem in interiori brachij ſede, qui ſe propagat, Interna vena vocatur: in cubiti tandem medio, ex ambobus iſtis truncis vna ſimul coeuntibus, quæ vena effingitur, Media, vel Mediana appellatur.

Collige ſecundò, in ſiniſtra manu Splenitem non eſſe venam, à Splene deductam, nec in dextra, Hepatitem ab Hepate diſſeminatam, in 1. de Morbis, vt videtur dicere Hippocrates: quam ob cauſam in affectibus Lienis, illam tantummodò, inter anularem, & minimum digitum, quæ apparet vena, in Hepatis verò morbis inter indicem, quæ eſt, & pollicem, illam ſcindi debere, multi Medici crediderunt. In manibus enim, non alias cùm modernis Anathomicis, ego venas concedo, quam illas, ab Axillari exortas. Hinc vanam pariter, & ridiculam Æſculapiorum ſui temporis, in has aperiendo venas contentionem, Veſalius exiſtimat: inter indicem nanquè, & pollicem, quotieſcunque inciditur vena, humerariam ſecari contendunt, inter anularem vero, & minimum digitum, axillarem aperiri affirmant. In iſtorum, enim ſententia Communis vena, ſi ad indicem vſquè, & pollicem, ſiunio ad medium, & anularem, ſuos ramos propagat, in manu ideircò has diſtinguere venas, impoſſibile eſt. Præter quàm quòd in manibus venarum ſeries, vt dicit idem Veſalius, eſt adeò varia, vt vix inter tot homines, in duobus ſaltem, æqualiter diſtributi venarum rami, obſeruentur: hinc illarum cognitionis, nimis arduam eſſe, cognitionem affirmat.

Collige tertiò, in brachio, & in manu, cùm non alterius quàm Axillaris venæ diſſeminentur rami, nullam pariter eſſe in manus venas aperiendo, regulam obſeruandam: ſed quæcunque attollitur vena, quòd illa incidatur, ego aſſero, & Saluatella appelletur: in ſiniſtra tamen manu, inter anularem, & minimum digitum, inter indicem verò & pollicem, in dextra, talium venarum valuulæ, quòd mag.s appareant, ego non nego: quam ob cauſam illas in ſiniſtra ſecari, iſtas autem in dextra, Chirurgorum antiqua eſt obſeruantia.

Collige

Collige 4. per ſiniſtræ manus venarum ſectionem, ſi lienis iuuantur affectus, quemadmodum pariter in dextra manu venis inciſis, Hepatis morbi curantur, talis iuuaminis cauſam, non ad ipſas eſſe reducendam venas, ſed ſolummodò Veſalius vt aſſerit, ad rectitudinis rationem. Naturam enim debet Medicus imitari, quæ, bipartita cùm ſit corporis diſpoſitio, regionis, in ſuis criſibus, rectitudinem ſeruat: hinc liene turgente, è ſiniſtra nare ſanguis fluens, bona eſt euacuatio, è dextra autem, non iuuat.

His ergo de Saluatellæ vena ſic declaratis, quare illius ſectio non noceat, ſuperiorum omnium venarum inciſionem nocere, ſi acerrimè ſuprà defendi, nunc ad cauſam contemplandam, deuenio: hinc clarius mea aſſertio vt eluceſcat.

Notandum eſt primò, quòd in arterijs, vt ex Galeno in lib. de rat. cur. per ſang. miſſ. cap. 22. & 23. habetur, calidus, ſpirituoſus, & infeſtus, cùm coaceruatur ſanguis, arterias incidere oportet: verum quia maioribus inciſis arterijs, difficile cùm ſanguis ſiſtatur, multos interijſſe nouit idem Galenus, paruas idcircò ſecare, citrà aneuriſma cùm ille cicatrice claudantur; cuiuſmodi ad oculos fluxione cadente, in temporibus, quæ ſunt, vel in vertigine, aut diuturno in capitis dolore, quæ poſt aures apparent, Medicorum fuit mos antiquus.

Notandum eſt ſecundò, in 1. lib. de hum. corp. fabrica vt Veſalius docet, quòd in quolibet brachiali, hoc eſt carpo, ſeu palma manus, ſunt octo oſſa: in poſtbrachiali, hoc eſt Metacarpo, ſeu pectore manus, oſſa ſunt quatuor: digitorum cuiuslibet manus, oſſa quindecim, & ſeſamina oſſicula ſunt duodecim: ita vt in qualibet manu oſſa ſint trigintanouem.

Notandum eſt tertiò, quòd in manibus tot oſſa cùm ſint articulata, multis membranis & ligamentis connexa, ſatiſque à caloris fonte remota, ſpirituoſo idcircò, & calidiore ſanguine vt alerentur manus, neceſſe erat: quam ob cauſam infinitas arteriarum anaſtomaſes cùm manuum venis, Natura effinxit: hinc Saluatella inciſa, arterialis etiam oportet, vt effundatur ſanguis: & confirmatur ex hoc, quòd talem inciſionem, non venæ, ſed arteriæ, in loco allegato, capite vltimo appellauit Galenus.

Notandum eſt quartò, quòd non alio vitio, in iam dicto lib. c. 22. & 23. vt ex Galeno colligitur, arterialis ſanguis morborum eſt cauſa, quam quòd nimis calidus eſt, & ſpirituoſus. & verè hæc eſt potiſſima cauſa: ex nimia nanquè caliditate, veluti exiccatur ſanguis, adeò vt nitroſitatem contrahat, quæ malignus, ex iam ſuprà dictis, parit affectus.

Notandum eſt quintò, ex Galeno ibidem quod ex manibus in larga copia educitur ſanguis, vt illius per hæc verba patet, *Mo-*

nitus

nitus per quædam in omnia, quorum duo perſpicuò mihi viſa ſunt, acceſsi ad dextræ manus arteriam, inter indicem, & pollicem ſitam: permiſique fluere, donec ſponte ſiſteretur ſanguis: nam ita ſomnium præceperat. effluxit autem non tota libra. Quibus itaque ſic notatis,

Hepatis, aut Lienis dolores, corporiſque alios affectus, Saluatellæ inciſionem iuuare meis, abſque quo contradicam principijs, duplicem ego aſſero ob cauſam.

Prima eſt, quia antiquitus, ex brachiorum venis miſſionem ſanguinis, non nocere affirmaui, ex eo quòd in larga copia, tunc temporis ſi extrahebatur ſanguis, nulla idcircò interpoſita mora, per ſupernas partes, tota illa vitioſa materia, educebatur. Eodem pariter modo, ex Saluatella in larga copia, ſi emittitur ſanguis, Saluatellæ in morbis inciſionem conferre, vt rationi conſentaneum exiſtimauit Antiquitas. At ex brachijs, in magna quantitate mittendi ſanguinem, ſi iam ablatus eſt vſus, ex brachijs propterea, ob pericula vt dixi, ſuperiorum venarum, quæ minatur inciſio, ſanguinis miſſionem, iſtis temporibus, ego non laudo: at ex Saluatella, cùm libram, ſumma ſanguinis quæ extrahitur quantitas, vt Galeni nos docet experientia, non excedat, aliarum omnium ſuperiorum venarum, hanc ob rem, inciſione confutata, Saluatellæ ſolummodò ſectionē, ego concedo.

Secunda Ratio eſt, quia ex arteriali ſanguine inquantùm nimis calido, & ſpirituoſo, ex iam allegata Galeni doctrina, corporis partes affliguntur, & dolent: ergo ad illarum curationem: arterialem ſanguinem refrigerandi, necnon & ſpirituum feruorem attemperandi, indicatio inſurgit: Sed in arterijs non poteſt ſanguis refrigerari, ſpirituumque feruor attemperari, niſi tùm arterialis ſanguinis, tùm arteriarum, tùm ſpirituum, refrigerato principio; quod principium in omnium ſententia eſt Cor: ergo corde refrigerato, & exhauſto, tùm ſanguis, tùm ſpiritus attemperantur: ſed à corde arterialem ſanguinem Saluatella inciſa exhaurit, necnon & Cor refrigerat, ita calidos, vt non generet ſpiritus: ergo ſi vel doloris, vel alterius affectus, arterialis ſanguis, inquantùm nimis calidus, & ſpirituoſus eſt cauſa, à primo ad vltimum ſequitur, quòd illos affectus, quos huiuſmodi arterialis ſanguis cauſat, Saluatellæ inciſio iuuat.

Confirmatur primò, nàm arterialis nimis calidi, & ſpirituoſi ſanguinis ad partem fluxione ceſſante, ceſſat dolor in parte: ſed per Saluatellæ inciſionem, corde depauperato, ad affectam, vel dolentem partem, nimis calidi, & ſpirituoſi arterialis ſanguinis, ceſſat fluxio: ergò per Saluatellæ inciſionem, ex arteriali ſanguine quantùm nimis calido, & ſpirituoſo cauſatus, ceſſat dolor in parte.

Maior probatur: nam ſpirituoſi, & nimis calidi arterialis ſanguinis noua fluxio, eſt doloris, vel alterius affectus, cauſa conſeruans:

uans: ergo ad partem, talis ſanguinis fluxione ceſſante, ceſſat dolor in illa.

Conſequentia patet: nàm cuiuſcunque viſceris forma, pro ſua connaturali temperie frigiditatem exigit: ergo arterialis intemperati ſanguinis exiſtentis in parte, conſeruans ſi ceſſet cauſa, à viſceris forma intemperies illa corrumpitur.

Antecedens in Philoſophorum ſententia difficultatem non patitur: non ſolùm enim frigidum & humidum eſſe ſanginem Philoſophi aſſerunt, per accidens verò calidum ſpirituum ſcilicet ratione, veluti a ſimili calida eſt ebulliens aqua, aut Carbo ignitus, ſed & ipſam carnem, cùm frigido, & humido nutriatur ſanguine, talis etiam eſſe naturalis temperiei affirmant. Multiſque præterea derelictis rationibus, clareſcit hæc illorum doctrina in Syncope: influentis nanquè vitalis ſpiritus ad corporis partes ceſſante influxu in Syncope, de repètè corpus frigeſcit, corrupto etiam à cuiuslibet partis forma, natiuo etiam calore, qui per complantatos ſpiritus, partibus eſt comunicatus.

Quod ſi de Corde inſtabis quod eſt fons caloris.

Reſpondetur facile, & dicitur quod Cor naturali, & actuali temperie eſt frigidum, virtuali verò eſt calidum: quemadmodum piper naturali & actuali temperie eſt frigidum, virtuali vero eſt calidum, quia piperis virtus tunc ad actum reducitur, cùm piper à ſtomaci calore actuatur: ſic pariter cordis calida virtus, tùc in actum reducitur, quando à ſpiritibus in matris ſanguine, quo ipſum Cor nutritur, exiſtentibus, Cor caleſcit.

Conſequentia etiam patet, non ſolùm Syncopis exemplo, ſed calidæ aquæ. Ab aquæ etenim forma, quemadmodùm nimius calor extinguitur, ad priſtinam ſe reducẽte frigiditatem, ab extrinſeca agente cauſa, niſi calor ille conſeruetur in aqua: ità pariter arterialis intemperati ſaguinis exiſtentis in parte, conſeruans ſi ceſſet cauſa, à viſceris forma intemperies illa corrumpitur.

Confirmatur ſecundò nam ſaluberrimum in venalis ſanguinis putredine, ſanguinis miſſionẽ eſſe præſidium exiſtimauit Galenus: leuata enim Natura eo quò veluti ſarcina prẽmitur, quod reliquum eſt concoquit, vincit, & expellit: ergo ità à pari per Saluatellæ inciſionem corde depauperato, nimis calidi, & ſpirituoſi arterialis ſanguinis fluxione ceſſante, tùm ad calorem refrigerandum, tùm etiam ad ſpirituum attemperandum feruorem, dolentis, & afflictæ partis leuatur natura.

Confirmatur tertiò. nàm à Corde nimis calido cùm Cor ſit fons caloris, nimis calidus idcircò, & ſpirituoſus, arterialis ſit ſanguis: ſed in omnium Medicorum Sententia, ſanguinis miſſio refrigerat, necnon

necnon per Saluatellæ inciſionem immediatè Cor exhauritur, & conſequenter refrigeratur, cùm arteriæ à corde immediatè dependeant, vt ab illarum principio: ergo per Saluatellæ inciſionem Cor refrigeratur & ſpirituum feruor remittitur.

Dices primò ex cubiti ſectione, ad ſuperiores partes, ab Hepate venalis retrahitur ſanguis: ergo ita etiam à pari, ex manus inciſione ad ſuperiores partes arterialis ſanguis reuellitur: ergo ex cubiti venarum apertione, quæ ſequuntur incommoda, ex venarum manus inciſione ſequentur eadem.

Reſpondetur paritatem negando: & prima diſparitas eſt: nam arteriarum, & venarum eſt diſpar principium: arteriarum enim eſt principium Cor, quòd in corporis medio cùm reſideat, ab illo per talem ſectionem ad infernas partes fit reuulſio, licet hæc non ſit ita perfecta, vt illa in pede: è contra autem eſt in venarum brachij inciſione: nam cùm venarum ſit principium Hepar, ad ſuperiores partes idcircò ex brachij ſectione, vitioſus ille ſanguis reuellitur.

Sed contra inſtabis: nàm ſecta vena ſanguinis portione egreſſa, ne detur vacuum, de neceſſitate alia ſubit, & ſic per ſanguinis miſſionem à toto corpore fit euacuatio: ergo in Liene e.g. cùm nimis calidus, aut nitroſus arterialis eſt ſanguis, ſecta arteria ne detur vacuum, arterialis ſanguinis portione egreſſa, de neceſſitate alia ſubit, & ſic ab arterijs lienis, ad ſuperiores partes, arterialis ſanguis retrahitur: ergo ex venali ſanguine vitioſo ad ſuperiores partes retracto., ſi maiora accidunt mala, ita quoque à pari, vitioſo arteriali ſanguine ad ſuperiores partes retracto, maiora mala contingent.

Reſpondetur negando antecedens: ſanguis enim, ſecta vena quòd effluat, non eſt vacui ratione, ſed ex quacunque vena egreſſo ſanguine, quòd illa vena in ſemetipſam concidat, ego aſſero: & ſic ad illam, ſanguinem accurrere nulla adeſt neceſſitas.

At Quæres. quo ergo modo ſecta vena effluit ſanguis?

Reſpondetur, vario modo, varios hac de re, opinari Doctores. Fibrarum ratione, quæ in venis exiſtunt, per partem poſt partem ſanguinem attrahentium, effluere ſanguinem aſſerunt alij. At mihi hæc aſſertio non placet: nàm quamuis per fibras venæ, ex Hippocrate, in 1. de Morbis, magis trahant, quàm carnes; fibrarum tamen naturalis motus tardiſſimus eſt: cùm illæ nonniſi imbibitæ, & repletæ, roris inſtar, tenues exprimant ſuccos: at ſanguis velociſſimo curſu è vena fluit.

Ob dolorem, & vincula, ſanguinem ſecta vena effluere, credunt alij. Sed mihi nec iſta reſponſio arridet: abſquè enim dolore. & abſq; vinculis ſæpè effluit ſanguis, vt è naribus in ſanguinis profluio apparet.

O Ad

Ad ſanguinis grauitatem referunt alij. Sed neque eſt hæc opinio vera: cranco nanquè vulnerato ſanguis vt ſic non effflueret.

Fluentis ergo, ſecta vena, ſanguinis, quantumuis aut eius grauitas, aut vacui ratio, aut venarum fibræ, aut vincula, aut frictiones, aut aqua calida, aliqualiter coadiuuantes ſint cauſę, non tamen ſunt adęquatæ: huius enim non aliam eſſe adæquatam, ego aſſero, cauſam, quàm vitales ſpiritus, in arterijs, & in venis incluſos: iſti nanquè impetum facientes ab Hippocrate cùm dicantur, cùm aliquali violentia vaſa implent, & diſtendunt, quibus poſteà vel ferro inciſis, vel quouis alio modo apertis, cùm impetu foras ſanguis erumpit. Arteriarum pariter comitantium venas, motum adde continuum: à motis enim arterijs comprimuntur venæ, quibus inde compreſſis, ſtatim defluit ſanguis, adeò vt quò magis vitali ſpiritu fuerint imbutæ arteriæ, vel ipſis venis propinquiores, eo venæ comprimantur magis, & promptius foras ſanguis decurrat.

Inſtabis ſecundò: nam ex hac infertur doctrina, quòd in manibus ex vena aliqua inciſa in infernis partibus, arterialis qui exiſtit ſanguis, quamuis non totus, ſed quantitate ad euacuatum correſpondente, ad ſuperiores partes retrahitur: ergo ex vitioſi venalis ſanguinis retractione quemadmodum maiora accidunt mala, ita pariter de vitioſo arteriali ſanguine ad ſuperiores, per manus venarum inciſionem, retracto partes, detrimentum conſimile eſt affirmandum, & ſic eadem quæ ſuprà difficultas obijcitur.

Reſpondetur, ſequelæ paritatem negando: & in hoc, diſparitas euidenter conſiſtit: nàm venalis ſanguis eſt putridus, ità vt ſanguinis iam ſit mutata ſubſtantia, è contra autem arterialis, putridus non eſt, ſed ſolummodo intemperatus, hoc eſt, vt dicit Galenus, nimis calidus, & ſpirituoſus, immò addo ego & nitroſus, cum nitroſitas excedentem in illo calidam arguat intemperiem. Venalis ergo ſanguinis focus vel in inferioribus, vel in ſuperioribus exiſtat partibus, ex cubiti ſectione maiores ſemper corporibus contingunt ruinæ: inferioribus nanquè ſi eſt ille in partibus, tunc per cubiti ſectionem ad nobiles ſuperiores partes, putridus dum retrahitur ſanguis, ſi quod tangitur a putrido putridum efficitur, illæ quidem inficiuntur: & ſic grauiores euadent affectus: in ſuperioribus prætereà partibus, venalis ſanguinis ſi eſt putredinis focus, tunc per cubiti ſectionem, in inferioribus bonus ſanguis exiſtens partibus, dum ad illum contrahitur, ob eandem cauſam, putrido, ſcilicet, ſi non putridum aduenit, illud quoquè putreſcit, & foco ſic ligna addentur, & maiora pariter mala contingent. E contra autem in arteriali eſt ſanguine, qui cùm nimis calidus, aut ſpirituoſus, aut nitroſus exiſtit, illius intemperiei Cor eſt focus: hinc ad ſuperiores partes, per venarum

manus

manus ſectionem, arterialis ſi retrahitur ſanguis, partem, quam affligebat, illo derelinquente, aut doloris, aut alterius in illa affectus, vel leuitas, vel ſolutio ſequitur. Nec prætereà ad ſupernas partes, ex eius retractione vllum accidit malum: arterialis nanquè ſanguinis intemperies, ſi à corde intemperato, hoc eſt nimis calido prouenit, non poterit ad ſuperiores partes, arterialis ſanguis retractus, maius addere malum: ex eo quòd ſanguis retractus, non eſt intemperato corde calidior: ergo maiorem in illo, non poteſt alterationem cauſare. Agens enim remiſſus, in Philoſophorum ſententia, non poteſt cauſare Paſſum intentius.

Saluatellæ itaquè inciſio, in principalium partium morbis, quantùm iuuet, ex his collige primò: necnon pariter colligas, quòd iure optimo, de illa hos decantauit verſus, Salernitana Schola.

Ex Saluatella veniunt tibi plurima dona
Splenem, hepar, pectus, vocem, præcordia purgat.
Innaturalem tollit de corde dolorem.

Inſtabis tertiò, quòd venarum in cubito, ſi arteriæ ſunt comites, cur etiam inciſis cubiti venis, arterialis pariter non effluit ſanguis; adeò vt tàm ex cubiti, quàm ex manus venarum apertione, iuuamina eadem conſequatur?

Reſpondetur, non aliam huius eſſe rationem, niſi quia in cubito, cùm non ſit tot oſſium, & cartilaginum, & ligamentorum tanta congeries, veluti in manu, ſpirituoſi idcircò ſanguinis copia, in cubito non neceſſaria erat: hinc quamuis in illo, venarum ſint arteriæ comites, non tamen adinuicem arterias, & venas, implicauit Natura, & anaſtomaſes inter illas effinxit: quemadmodùm experimur in manu, ad quam, à cubiti flexu, bipartiti axillaris arteriæ trunci, vt in arteriæ magnæ, Veſalij patet, delineatione, cum nudi pertingunt; in illa poſteà, in quamplurimos diuiduntur ramulos, qui per manus cutem diſſeminati, venis ipſis ſe inſerunt, venali ſanguini maiores ſpiritus, vt communiceut.

Collige ſecundò, non ſolùm ex Saluatella, ſed multo magis ex pede, quàm mirabilem in malignis febribus eſſe ſanguinis miſſionem. Ratio ex dictis iam patet; nàm pedes, tanti oſſibus, cartilaginibuſq; & ligamentis cùm conſtent, ſpirituoſo pariter, & calido ſanguine, quemadmodùm & manus, immò magis, cùm magis diſtent à fonte caloris, indigebant: quàm ob cauſam multas in pede diſſeminauit Natura arterias, multaſque cùm venis anaſtomaſes, illa effinxit.

Adde prætereà, quòd non ſolùm in malignis affectibus, qui ſe eſſe malignos, iam ſe manifeſtarunt, ſed in illis etiam, qui clementes cùm

O 2 videan-

tatem ſequi concedunt, ſed in particularibus morbis particulares quoquè aſſerunt, in pede, venas eſſe aperiendas.

Verùm Anathomes, ſi à ſenſu viſus dependet, hinc plura cadauera, quàm non ipſe Galenus, ſi moderni ſecuere Anathomici, ad Quæſitum idcircò, cum Veſalio mihi liceat reſpondere; quòd nempè ab vno venæ cauæ trunco inguina ſubeunte, per Crus ad pedis vſque ſuperiora, omnes qui decurrunt rami, dependent: hinc ſi origo eſt vna, venarum pedis in inciſione vana erit electio, ſed quæ magis attollitur, vt in cubiti venis iam diximus, illa eſt incidenda.

Ecce ergo ex infernis venis ſanguinis miſſio quantùm valeat, ſexcentis vijs iam demonſtratum. Immodeſto ore hanc in poſterùm, qui blasfemant ſententiam, quàm eſſe irridendos, colligat vnuſquiſque. Meis ſcriptis, formidinē illam, quam ſecum affert opinio, meæ ſententiæ, docti illi Salernitani qui fauent, ab eorum ingenijs iam protsùs auferant: Sed ſcientiam hac habentes de re, demonſtratiuè concluſionem iſtam defendant. Traditis à me principijs, contraria dogmata, literis quæsò demandet reliqua Salernitanorum caterua. Sed quas doctrinas in lucem iſti edere poſſunt, Hippocratem & Galenum: ſi nec etiam benè legere ſciunt? Literarium nunc exeant in campum: in ſcientijs pariter, currere & fugere aliud eſſe & aliud, à me ediſcent. Coram ſapientibus loqui, & fabulas femellis narrare, non eſſe idem experientur. Medendo, vulpinis malitijs propriā benè illi poſſunt ignorantiam contegere: at ſcribendo, proditionis, & fraudis nulla fingitur veſtis, ſed ſcribentis, ſilentij effractis carceribus, nudus fugit partus ad lucem. Noſtrum, quibus magis eſt forte pectus, literaria hæc demonſtrabit arena.

At iſtorum Salernitanorum ſi ictus ſunt leues: leuis nanquè armaturæ ſi illi ſunt milites, in re tàm neceſſaria ad publicam vtilitatem, percribrata non mea erit ſententia: hinc in Medicorum duellis, vitam perdent languentes: vndè vel nos, vel alterius ſententiæ ſectatores, ægrorum erimus homicidæ. Alios ergo ſcientificos ego inueniam hoſtes: & illuſtriſſimos Doctores publicis Neapolitanorum in Scholis, contrarias ſi qui docent ſententias, qua ratione illas defendant, manifeſtare vt velint oro, ſupplico, & exoro. Summis pariter honoribus decorata hæc mea ſcripta exiſtimarem, priuatis in Liceis doctiſſimi Medicinæ Magiſtri, Hyeronimus Fortunatus, & Onuphrius Riccius, ſi illa impugnarent. Ex iſtorum etenim omnium ſubtilitatibus, veritatem penetrandi, ingeniorum quæ impedit hebetudo, rapidè tolleretur, & ex illorum ſcientiæ ſplendoribus, falſitatis tenebræ omnes, celerrimè fugarentur. Benedicent nos Poſteri, noſtrum aliquis error quos facit cautos. Falſis doctrinis ingenia inficere, abſit à me tanta crudelitas.

Non coria, non tegulas, non ligna medemur, ſed humana corpora Languentes, vel minimus error occidit: & morbi incolumes ob delicta fiunt letales. Si malè ſentio, tanquàm homicidas diſſeminantem ſententias, literarijs iniurijs me increpent omnes. Mei erroris vt ſoluam pœnam, iuſtitia eſt. Rapidos Solis currus equos, Phœton regere quia neſciuit,benè meruit præcipitium. Spinas qui ſeminat, diſcalceatus non ambulet. Literario iam ſum in Campo: & abſquè ignominia fugere non poſſum. Contrà multos nunc ego iaculatus ſum ictus,multorum ictibus ecce iam meum pectus paratum. Diſputando aut ſcribendo terga voluere, Aduerſarij me non videbunt. Illorum vel ad maiorem gloriam, vel forte ad contumeliam impauidus ſemper reſiſtant. Percuſſæ ſcintillant Petræ, & ſæpè, ingentes vrit domos neglecta fauilla. Nimis audacem Doctorum aliquis non me exiſtimet. In Sapientium duellis, aciem an meus calamus habeat, experiri ego volo. In mei honoris detrimentum ſi hæc erit experientia, honoris detrimentum mihi cadat in pœnam. Altos & repentinos volatus, præcipitia ſequuntur. Bellando ſi nunquàm aliquis moreretur,bellum adire, fœlicitas eſſet. Non omnibus datum eſt ire Chorintum. Non omnia finitus Intellectus intelligit. Non ſunt æqualiter illuminata ingenia. Non eſt Magiſter qui docet, non litera ſcripta: diſcipulum ſolummodò,hæc duo mouent,& excitant: Sed interius, eſt vnus Doctor, qui mentem illuminat, & veritatem oſtendit, in 1. Poſter. Subtilis Scotus vt affirmauit. In Circulis, quis vincit, quis victus cadit. Vnius ignominia, alterius eſt gloria. Non lucratur, Sorti merce qui non committit. Immortalis non fuiſſet Erotimus,Dianæ templum in fauillas volare ſi non feciſſet.Rude non euaginatum euadit Ferrum. Aqua in lacu ſtagnans, immota marceſcit: at præcipiti in torrente liquida videtur Cryſtallus. Spinas & tribulos germinat, lyconibus quæ non excolitur Terra. Torpeſcunt inexercita membra. Vitiorum eſt Ocium pater „ *Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus*. Labores Præmia ſequuntur „ *Qui ſeminat in lacrimis, in exultatione metet*.

Diſputemus ergo, & abſque vlla pietate, argumentorum ictibus ingenia adinuicem nos feriamus: at arguendo modeſtiæ limites non ſit qui traſcendat. Veritatem ex difficultatum tenebris elicere, ſit noſtrum intentum.Literariam iactabundus non quis ingrediatur arenam. Laus in fine canitur. Aduerſariorum iactantias libenter audiam: illorum que obiurgationes, vſquè quò ſufferri poſſint, tacitè ſufferam. Cameli inſtar,iuxtà proprias vires,onera patiar: quæ cùm nimis ſint grauia, illa impatiens eijciendo, è ſilentij terra exurgam. Ad parietem vſque,hoſtis non eſt reducendus. Dormientem Canem non ſit qui tentet: per æternitatis tempora,rabidi morſus, forſan nō

inue-

inuenient medelam. Superba ingenia me non deterrent: huiuſmodi ſimilia deriſit ſemper anima mea: Superbiæ enim ignorantia vt non coniungatur, eſt impoſſibile. Humiles intellectus ſemper fui ego admiratus. Humilitas nanquè virtutum omnium eſt fundamentum: & *Sæpè ſub ſordido palliolo ſapientia latet*, Cicero dixit. Pacem in ſuſtinendo ſententias, qui mecum non quærunt, pacem, nec ego quæro cum illis, ſed perpetuum bellum. Rixarum in Liceis, nunquàm apud me fuiſſe penuriam intelligat vnuſquiſque. Honorabo honoratus, blasfemabo blasfematus. Qui velit ingenio cedere,nullus erit. Neapolitanorum Medicorum ſententijs, ſi me non facilè adſcribam,proteruum non ſit, qui me credat: non enim Neapolitanorum doctrinæ Apollinis ſunt oracula. Doctiſſimos illos eſſe, ego non nego: at in Medica arte,dubitandum, ſemper aliquid remanet. Senex erat Hippocrates, & ad Democritum ſcribens, artis Medicæ finem ſe non adhùc eſſe aſſequutum, confitetur. Æſculapium pariter Medicinæ inuentorem,in multis à ſe diſſenſiſſe,tradiderunt Antiqui. *Ars longa, Vita breuis, Occaſio præceps, Experimentum fallax, Iudicium difficile*. de Medicina, ipſemet Hippocrates decantauit. Inſanas ignarus Vulgus, necnon indocti quidam Salernitani Medici, meas declamant ſententias; at de his ego non miror: *apud ſtolidos* enim *virtutis labor inſania iudicatur*, Sic Hippocrati Democritus ſcripſit. Sed inſanas illas iam concedamus,& ſim ego Democritus ridens,aliorum Medicorum, curandi modos qui ſpernam. Meam ergo inſaniam pietatis cauſa veſtris dogmatibus, ò vos Neapolitani qui tot Hippocrates eſtis, ad curandam venite. Abderitarum Ciuitas, hac de re non vos orat,ſed lacrimantium ægrorum caterua. A mearum ſententiarum ſequacibus, timent illi ne occidantur: duas enim in Medica arte defendo ego ſententias, languentibus,vel apprimè vtiles, ſi veræ ſunt; vel multùm pernicioſas,ſi falſæ exiſtunt. In morbis non ex ſupernis, ſed ex infernis venis ſanguinem educi debere, eſt prima ſententia. Medicamentum vel eradicans, vel minoratiuum, ut dicunt, cruda exiſtente materia, prorsùs non conuenire, eſt ſecunda, ſed tantummodò uel cum turgeat illa, uel cum eſt concocta. In prima Concluſione à meis argumentorum ictibus, ſe Aduerſarij defendant: in ſecunda autem, de qua quid ego ſentiam, iam ſparſim in his Duellis apparet, contrà me literaria inijciant tela: in uanum quod illa cadant oſtendere, hoc,meum onus erit.

Ad has ergo, in medica facultate extirpandas hæreſes, (ignari ut inquiunt) miſerorum languentium uos moueant lacrimæ: & ueſtrarum ò Neapolitani, doctrinarum ueratro, mei intellectus ſanate ſtultitiam. O enim me fæliciſſimum, ſi quod Hippocrati contigit,& uobis continget. Ad Democriti curandam inſaniam, ad Abderitas

acceſſit Hippocrates: at Philoſophi inſpecta prudentia, admiratione plenus ille diſceſſit. Sed vox intereà faucibus hæreat:& fluctuantium ingeniorum motus imperterriti expectemus.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

An in Hepatis inflammationis principio medicamentum conueniat.

PRolixitatis in errorem incidere, dubius ſi ego non eſſem, in febrium principio putridis humoribus intrà venas exiſtentibus crudis,minoratiuum ſaltèm medicamentum,an conueniret,examinarem: at quoniam ob Aduerſariorũ cateruam: non pauci,eſt res hæc momenti, & paucis quæſtionem hanc definire, in coclea Oceanum eſſet perſtringere, illam idcircò,ſilentio prætermittens,ad propoſitum quæſitum me transfero.

Medicamẽtum,& ſanguinis miſſio,quòd in inflammatione conueniãt,ego non nego:vtraq́ue enim,in illa,ſanguinis miſſio dùm tamen præcedat,Hippocrates,& Galenus concedunt. At quoniam quatuor tempora Inflammatio habet,principium, augmentum,ſtatum, & declinationem,quemadmodum idcircò, putreſcentibus intra venas humoribus,illos ante coctionem,non eſſe purgandos,exiſtimo, ita à venis cùm exudarint foras, adeo vt in tumorẽ eleuauerint vaſa, nonniſi pariter, poſt coctionem medicamentum, in inflammatione conuenire, ego ſuſtineo: hinc in inflammationis principio medicamentum ægro tribuere, morbum curare non eſſe, ſed ægrum occidere, in Hippocratis & Galeni ſententia, vt certum defendo.

Sed mea hæc ſcripta legentibus, nimis libera quæſo, concluſio iſta non videatur. Clariſſimis enim verbis in 4.de rat.vict.tex.22.ab Hippocrates ſic regiſtratur,, *Quicumque autem ea quæ inflammantur ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, ij non ſolùm ab intenſa inflammataque parte,nihil adimunt,cùm non cedat, obſequaturque quæ adhuc cruda eſt affectio: verùm quoque & quæ morbo reſiſtentia, & ſana ſunt,abſumunt, colliquantque: ductoque ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadit,qui vbi corpus vicerit,remedium non habet*. Ecce ergo, nulla vitioſi humoris ex inflammato membro, in inflammationis principio,cùm euacuatio fiat, immò ſanæ ex medicamento cùm colliquentur partes:ecce inquam,quòd in aliquo viſcere, inflammationem patientibus ægris,medicamentum tribuere,mortem eſt illis afferre, & quod ægros in inflammationis principio, medicamentum ſorbere, mortis calicem eſt bibere.

Adde

Adde prætereà, quòd Hippocrates in 2. de fracturis tex. 27. in calcis pedis inflammatione, quandò nempè quis ab alto ceciderit, ad excitandum vomitum, album veratrum iubet, dummodò tamen febris non adſit: verùm continua ſi adeſt febris, in textu 29. ſic ille ait, *nàm ſi febris continua ſit, medicandum non eſt: ſed à cibis, & ſorbitionibus abſtinendum: potioneque vtendum aquæ, non vini, ſed mellæ.* ſi ergo in calcis inflammatione, inter omnes corporis partes, ignobiliſſimæ partis, albo veratro vomitum, continua febris cùm adeſt, non concedit Hippocrates, immò eſtò febris non eſſet, ad vomendum, album veratrum tribuere non auderet Galenus, vt in commento fatetur; quantò itaquè magis in Hepate inflammato non ſolùm per vomitum, ſed etiam per ſeceſſum, à medicamento eſt abſtinendum.

Hinc colligas velim, quàm ridiculum ſit illorum argumentum, quòd nempè Hippocratis, & Galeni temporibus in inflammationis principio medicamentum non concedebatur, quia benedictis medicamentis illi carebant, quibus nos abundamus.

Sed intellectu carere tales Medicos ſic dicentes eſt autumandum: non enim tunc temporis, aut ſterilis erat Natura, aut tantorum virorum ſterilia erant ingenia. Contremiſcebant quidem, in tribuendis medicamentis Hippocrates & Galenus, *nàm turpis eſt calamitas*, vt in libro de medicamentis purgantibus Hippocrates dixit, *medicamento purgante dato, hominem occidere*. Leuia, non illis dificiebant remedia, morborum in principijs, quæ concedere poſſent, ſed in morborum principijs, vitioſi ne tantillum quidem humoris, ad euacuandum, apta illa non eſſe exiſtimarunt. Medicamenta, quæ nos benedicta vocamus, vt Roſam, Violam, Mannam, Caſſiam, Reubarbarum, Mirabolanos, Agaricum, & alia huiuſmodi, Hippocratis & Galeni etiam fuiſſe temporibus, in eorum libris, qui cæcus eſt, non legit. Raro medicinis iſtis Hippocrates & Galenus, ſi vſi fuere, ad illarum inefficaciam, aut aliarum ad maiorem virtutem, eſt tribuendum, niſi Hippocratis, & Galeni ignorantiam quis credat, illis forſan ſe doctiorem exiſtimans. Ad purgandum poſt coctionem, valentibus quia vtebantur medicamentis, Peplio nempè, Veratro, Colocyntide, & alijs, coactos fuiſſe idcircò Hippocratem, & Galenum, non eſt arbitrandum: nàm poſt coctionem, iuxtà humoris exigentiam & leuibus vtebantur, & forcibus. In calcis inflammatione (exempla ſi cupis) album veratrum vomendi cauſa iubet Hippocrates, ſed ſtatim ſubdit „ *continua ſi febris non adeſt*; & febris eſtò non adſit, illud concedere magis timidus, non audet Galenus. In inflammationes declinatione, Aloes cùm aluus non deycit, tanquàm forte medicamentum

P à Gale-

à Galeno timetur, hinc 13. meth.c.20. his verbis ad leuiora ſe tranſfert „ *Cæterùm vbi phlegmone prorſus inclinauerit, ſi quis paululùm aloes admiſceat, cauſa deijciendi ventris, qui prorsùs non deiecerit, nihil lædet. Verùm ſatius eſt, mercuriali, aut vrtica, aut cnico, aut talium aliquo, aluum ſic laborantium ſubducere.* E phlegmone poſteà ſi quid Scyrroſum relinquitur, ad valentiora Galenus medicamenta deuenit, à craſſis, & viſcoſis humoribus indicatione deſumpta, vt de Hepatis inflammatione in hoc eodem libro cap.15.fatetur: at vbi phlegmone iam concoquitur, ibi inquit, *Per ventrem vacuare, ſi Hepatis cauum afficitur, cnico cibis admiſto, & vrtica, & mercuriali, & epithymo, & filicula: omnibus præterea, quæ modicè aluum deijciunt.* quæ omnia ſimplicia, leuiſſima medicamenta eſſe, non eſt dubitandum: nam modicè, vt dicit in hoc loco Galenus, deijciunt aluum: immò cnicus & mercurialis cùm ptiſſana, ſi coquuntur, ad aluum ciendam ex 5. de ſanitate tuenda cap.9. ſenibus dantur, vtpotè quæ dicit ibi „ *Modicè medicamentorum vim obtinent*, & ad aluum corrupti cibi vt deſcendant ex cnico, & epithymo in 6. de ſanit.tuend.cap.7. medicamentum componi dicit Galenus, ex eo quòd hæc ſimplicia, ex ijs ſunt, quæ leuiter deijciunt. Non ergo in morborum principijs, benedictis, & leuibus, quia medicinis carebant, purgationem idcircò Hippocrates, & Galenus negarunt, ſed in morborum principijs, quia crudi humores etiam leuem non indicabant purgationem; medicamentum proptereà, hac de cauſa in morborum principijs illos negaſſe, eſt affirmandum.

Collige ſecundò, quòd medicamentum ſi in calcis inflammatione iubet Hippocrates, quando febris non adeſt, eodem pariter modo quando febris non adeſt, in alicuius partis inflammationis principio, medicamentum à Galeno concedi, intelligendùm eſſe exiſtimo: febre enim abſente, externam, & ignobilis partis inflammationem eſſe ſignificatur, in qua ex medicamenti aſſumptione, colliquationis non eſt periculum: è contra autem in internis viſceribus quando eſt inflammatio: nam hanc neceſſariò concomitatur febris, hinc neceſſariò phlegmones ex medicamento augetur, vt 13. meth.c.11. fatetur Galenus: ibi enim de Iecinoris inflammatione loquens, quòd illa, aſſerit, non medicamento, ſed ſanguinis miſſione curatur, immò addit quòd alicuius partis inflammatio, eſtò per purgationem ſanari poſſit, non ſic tamen eſt Hepatis phlegmones, & de oculorum inflammatione exemplificans, hæc ille dicit „ *Siquidem ex ijs, quibus oculi tentari phlegmone cæperant, nonnullos ſola purgatione per aluum, vno die ſanatos vidiſti. Quam rem ſi quis facere in Iecinore, cùm phlegmone laborare incipit, tentet, maximam excitabit phlegmonem.*

Adde vlteriùs, quòd ſi Hepatis pars conuexa eſt inflammata, non

ſolùm

ſolùm in eius inflammationis principio, ſed etiam in declinatione, quando eſt iam cocta inflammatio, medicamentum non conuenit.

Ratio ex Galeno deſumitur. Tribus enim tantummodò Criſis modis, vt 3. de Criſ. cap. 3. docet, Hepatis conuexæ partes inflammatæ obediunt, fluxibus nempè ſanguinis è nare dextra, ſudoribus bonis, & vrinis abundantibus: at quò Natura vergit, eò Medicus ducere oportet: ergo non alias, quàm illas, quas tentat ipſa Natura debet Medicus tentare vias: ergo Hepatis in conuexæ partis inflammatione, quia illam per ſeceſſum Natura non ſoluit, ſic pariter Medicus, in eius declinatione, medicamentum dare non poteſt.

Verùm quia Hepatis cauæ partes quando ſunt inflammatæ, illas per tres alios Criſis modos Natura ſanat, excrementis nempè alui biliofis, ſudoribus, nonnunquam verò & vomitibus; medicamentum idcircò inflammatione iam cocta, ego pariter cùm Galeno concedo: omnes etenim Criſes, coctionem ſupponere in Medica arte, vel tonſor ſit, huius rei non eſt ignarus; & abſquè coctione, Hepate inflammato, aluum fluere vitioſum eſt ſymptoma vt 2. in. 1. prorreth. com. 58. dixit Galenus.

Sed totius corporis euacuatione ſi non ſolùm inflammatio curatur, verùm etiam inflammatæ parti remedia applicando, ab affecta igitur parte medicamenta applicandi, quæ indicationes ſumantur, nunc diſcurramus. vnde ſit.

ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS.

De indicationibus, quæ parti affectæ medicamenta applicari, oſtendunt.

INflammationis quatuor cùm ſint tempora, parti idcircò affectæ, medicamenta applicandi, quatuor indicationes inſurgunt: in principio enim repellendi indicatio exoritur: in augmento repellendi, & concoquendi: in ſtatu concoquendi: in declinatione tandem euacuandi, vel inſenſibiliter diſcutiendi: inflammatio enim vel diſcutitur, vel in pus mutatur, ex lib. de morborum temporibus cap. 1. vel etiam in gangrænam terminatur, vt in libro de Typis c. 6.

Hæc attamen Regula quamuis ſit cuilibet inflammato membro communis, ab illa tamen Hepatis, & Ventriculi inflammatio excipitur, vt 13. meth. cap. 16. Galenus aſſerit, & rationem aſſignat, ex eo quòd iſtarum partium munus, toti corpori eſt ex vſu, hinc illarum tueri oportet virtutem; quamobrem 11. meth. cap. 16. dixit,

Siquidem in ventriculo, ac iecinore exolui robur, eſt pernicioſiſſimum: in illis minimè eſt periculoſum: loquebatur enim anteà, de alijs inflammatis partibus, vt inteſtinis, peritonæo, & cæteris: vndè ibidem relaxantibus cataplaſmatis, adſtringentia miſceri iubet, vt abſinthium ponticum, mirabolanos, malum cotoneum, & alia huiuſmodi; adhoc nempè, talium membrorum, vt conſeruent virtutem.

Collige ergo ex his, quòd in Hepatis, & ventriculi inflammationibus, mixtæ facultatis, quæ partibus iſtis applicantur, debent eſſe medicamenta. Vnum tamèn aduertas, quòd in iſtorum viſcerum inflammationis principio, ſolis repellentibus ſi quis vteretur peccatum non eſſet: & ratio à Galeno 13. meth. cap. 16. aſſignatur, quia nempè tunc temporis vel paucum, vel tenue eſt quod influit, & illorum viſcerum facultas fortis eſt, & non adhuc laſſata.

At in quem rerum difficultas me duxit errorem. In quonis nanquè morbo, victus ratio prima eſt quæ inſtituitur, & victum in tali affectu præſcribere, fui ego oblitus. Sed pæna, non eſt hic error dignus. Ieiunare Hepatis phlegmone laborantes iubet Hippocrates, & hac de cauſa cibum illis decernere, non fui recordatus. fit ergo

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS.

De victu in Hepatis Phlegmone.

INter Medicos, & femellas quotidiana in cibandis ægris exoritur pugna. Ægros victu pleno cibari, ſemper illæ contendunt: ſatius namq; eſt, cùm morbo pugnare, vt aiunt, quàm imbecillis cùm viribus; & ſic proteruæ, ægros malunt ſaturos mori, quàm ieiunos ſanari.

In hoc duello, victi multi medici cadunt: mortis enim euentus, tenuiſſimo ne aſcribatur victui, illi expaueſcunt; hinc propriæ indulgentes famæ, mulieribus indulgent, ac cedunt.

At quoniam ſi quis cibum, ex Hippocrate 7. aph. 62. febricitanti dederit, vt ſano robur, ſic laboranti eſt morbus, ſeu morbi eſt cauſa efficiens, vel cauſa eius augmenti, vt aſſerit in commento Galenus; caueant idcircò Medici omnes, ægrorum ſi nolint eſſe homicidæ, plenum cibum antè morbi acuti declinationem, ægris tribuere: augetur nanquè ex illo morbus, immò euidenter, mortis poteſt eſſe efficaciſſima cauſa, vt 1. epid. ſect. 3. ægroto 12. de illo hiſtoriam refert Hippocrates, qui parùm initio febricitans, quià largius cænauit, & potauit, in febrem incidit acutam, & perijt: & Philonis filia, ex 1. epid. ſect. 2. tex. 79. cum ex naribus, ei ſanguis copioſe erupiſſet,

piſſet, ſeptimo die intempeſtiuius cænata, defuncta eſt.

In Phlegmone ergo victus ratio inſtituatur à duobus illis, quæ Hippocrates docet, indicatione deſumpta, morbi ſcilicet ſummo vigore, & virium robore: Tenuiſſimum nanquè victum, morbi indicat ſummus vigor; quem, ſi valentes fuerint, non contraindicant vires: hinc 10. meth. cap. 5. ſub longa inedia, phlegmone laborantes ſe tenuiſſe, fatetur Galenus, *vt prorſus*, ſic ibi inquit, *antè ſeptimum diem non cibarem, ſed ſola mulſa contentus eſſem, viribus ſcilicet valentibus. Quoſdam eorum quibus videlicet vires validæ non fuerant, aut ſtomachus bilioſus, aut imbecillus, aut plus iuſtò ſenſilis, ſolo ptiſſanæ cremore vſquè ad ſeptimum diem traxi.* Et in 2. de fracturis tex. 29. in calcis inflammatione à cibis, & ſorbitionibus abſtinendum iubet Hippocrates, & non vini, ſed aquæ mellæ potionem tantùm concedens.

Verùm quia omnium viſcerum inflammationibus ex allegato 10. Meth. cap. 5. vna ſalus eſt virium robur, conſulerem ego proptereà, à viribus indicatione ſumendo, quæ non ſolùm ad præſens, ſed etiam ad futurum conſeruari debent valentes, per ſeptem dies vltrà ptiſſanæ cremorem, ſorbitionibus etiam vti, quamuis Hippocrates ab illis abſtinendum præcipiat, ſed in viribus, quæ per totum morbi curriculum fortes illæ perdurent, aſſignatam regulam eſſe obſeruandam, interpetratur Hippocrates: & ſic modò iura conſumpta, nunc ptiſſanæ cremorem, nunc ambo, nunc loco mulſæ coctas aquas cùm iulepis iuberem: ſolidos autem cibos, vt panem, gallinam paſtillos, olera, & fercula omnia, immò & iura contuſa ego interdicerem. Nec ius contuſum, leniſſimum ab omnibus exiſtimatum cibum, & vires ad conſeruandas, quammaximè efficacem, miretur aliquis me abhorrere: illius enim, & meus ſtomachus, & meum ingenium, etiam nomen abhorrent: ex eo quia minoris nutrimenti illud eſt, quàm ius conſumptum: in iure nanquè contuſo, gallinæ ſubtilis pars per coctionem, in ius fuit depoſita: hinc illa pars, quæ contunditur, fæculenta eſt, vel ſaltem ſubtili illa parte, cùm depauperata remaneat, pauci eſt nutrimenti: at in iure conſumpto gallinæ ad nutriendum partes omnes, in ius deponuntur, & poſt expreſſionem, quod remanet, quia eſt fæculentum, eijcitur: maioris ergo nutrimenti eſt ius conſumptum, quàm ius contuſum.

Adde quòd Ius conſumptum facilioris eſt tranſitus: hinc à vitioſi humoris, & phlegmonis coctione non multum Natura diſtrahitur.

Adde vltimò, quòd Ius conſumptũ ratione ingredientium quæ ponuntur, vt radices borraginis, bugloſſæ, acetoſellæ, melonum, ſemina, h ordeum mundum, & alia huiuſmodi, qualitate refrigerantia, & hu-

& humectantia, non ſolùm eſt nutrimentum, ſed etiam medicamentum, cuius gratia alterantur humores, illorumque feruor remittitur, & maximè ſulphuris, aut vitrioli ſpiritus, ſi addantur: putredini enim iſti reſiſtunt, ſubtileſque humores per vrinæ vias euacuant.

Sic ergo phlegmone laborantibus inſtituitur victus: & phlegmones ſic curatur. Literarijs apertum ictibus, ſic meum oſtendi pectus. Ingeniorum itaquè, ò vos omnes, quorum pectora, gloriæ ſtimulatur cupido, nunc acuite aciem: & doctrinarum ſagittas aduerſus me iaculamini: *Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros.* At quoniam & iaculis pectus offerre, & iacula inimico pectori inijcere bellantium ſi communes ſunt leges; militum quoquè inſtar nunc bellemur & nos: hinc literarijs vulneribus meum primò ſi ego obtuli pectus, veſtra pectora meis ictibus nunc præparate, quos effugere ſi poteſtis, effugite: ad veſtros enim, ò Caphare, & ò vos alij Medici, in languentis curatione qui adfuiſtis, demonſtrandos me conuerto errores. vnde ſit.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

Medicorum in propoſito caſo demonſtrantur errores.

REctum quia ſui iudex eſt, & obliqui; Hepatis idcircò inflammationem, ſecundùm Hippocratis, & Galeni principia tùm cognoſcendi, tùm præſagiendi, tùm curandi legibus conſtitutis, in quo fuiſtis hallucinati, ſole clarius nunc eluceſcet.

ERRASTIS itaquè vnanimiter primò, quia morbum non cognouiſtis: duplicem nanquè, ex bilis putredine exortam, crediditis vos tertianam, & illa febris erat acuta, ex Hepatis inflammatione dependens. At Chiaritius & Robertellus morbum iſtum quòd non cognouerint, non ego admiror: iſtorum enim doctrinæ, ſatis mihi innoteſcit, quòd Diariam non pertranſeunt febrem; & vltrò ſi progrediuntur audaces, ridiculos, vt demonſtrabo, committunt errores: hinc mihi admirationem, tu ſolummodo ò Caphare ob ſenectutem, doctum, qui te fingis: & credis, quammaximè peperiſti. Inflammatum in tali ægro eſſe Hepar, à tõſoribus, & femellis cognitum, adhùc etiam fuiſſet: ictericiam nanquè affectum Iecur arguere, ſciunt & ipſi pueri. Nec prætereà aliud poterat cùm turbida vrina, ab ingenti calore quæ prouenit, humorum ebullitionis cauſa, cùm febre acuta, cùm virtute languida, cùm extremorum ſubfrigiditate, cùm difficul-

tate

tate ſpirandi, alijſque ſignis vt ſuprà, quàm Hepatis non leuem, ſed magnam inflammationem, morbus regius ſignificare. At dices quòd ſenectus obliuionem parit, hinc talium principiorum, non fuiſti tu recordatus. Vel ſaltèm, hoc ſi negas, te in iuuentute doctrinas iſtas non legiſſe, eſt concludendum.

ERRAVIT ſecundò Robertellus, quia venam in pede tertio die ſecauit. Sed oh ignorantiam magnam. Turbidæ ſecundo die erant vrinæ nullumque crudum, venter continebat cibum, ſerò nanquè non cænauerat, & ipſe ſecundo die venam nō ſecat? Exurentem calorem, humorum ebullitionis cauſam, ſi turbidæ arguunt vrinæ, cur ſtatim, ſanguinis miſſio ſi refrigerat, ſanguinis miſſione, tantum non attemperare feruorem? Si ex obſtructione, in febre quæ gignitur, in putridam ne fortè illa tranſeat, ſanguinem ſecundo die mittit Galenus, cur ergo in hac febre, quam vel non eſſe citrà putredinem, vel non citrà inflammationem vrina turbida oſtendebat, ſanguinem, ſecundo die non mittere? Sanguis in ipſamet putrida febre ex eodem Galeno, ſi ſtatim extrahitur, putredo, ne forſan quæ eſt in ſanguinis parte, vniuerſo comunicetur ſanguini, cur itaquè in hac febre, quam putridam eſſe, ratione turbidæ vrinæ, non poterat ſaltem non credere, venam non ſecare? Si de repentè fit inflammatio, vt docet Galenus, ad quid tandem tempus expectare, & morbo dare tempus, ſuas vt figat radices? Vel cur corpus non reddendo auarum, reuellendo, & deriuando, quàm citiſſimè ſanguinis miſſionem non iubere? Sed quid? de tali errore vana, mea eſt admiratio: dùm in Hippocratis, & Galeni doctrinis Doctor iſte inexpertus, tanta conſiderare non potuit.

ERRASTIS tertiò vnanimiter; in quinto die dando illi medicamentum. Sed ò Athenarum ſapientes noui. Dicite quo Hippocratis, aut Galeni in libro, homicidam hanc vos didiciſtis doctrinam? Per ſexaginta ferè vices & in magna quantitate fœtidi, & климат bilioſi fuerunt quidem ex veſtro pharmaco euacuati humores, at dicite quale fuit iuuamen, inflammatio forſan quæ in Hepatis caua aderat parte, poſt medicamentum ex manifeſto regionis Hepatis tumore vt apparuit, ad conuexam comunicata? Vel incendij forſan augmentum, dummodò ſeroſitates omnes calore abſumente, per duos dies æger non minxit? Ah cæcos, Vitioſus à medicamento cùm non trahitur humor, ſani humores colliqueſcunt, & carnes: hinc fœtidarum fæcum excretio accidit copioſa. Humorum ergo bona euacuatio illa non fuit, ſed colliquatio: bonam etenim euacuationem, coctio debet præcedere, immò & diſcretio. At quæ coctio aderat, turbidæ ſi erant vrinæ? Fit euacuatio medicamento attrahente, & Natura expellente: ſed quos poterat medicamentum trahere humores, ſi ex eo quòd

crudi,

crudi, obedientes non erant? Quid valebat Natura expellere, ſi in morbi principio, ab humorum ſarcina, ſuccumbebat oppreſſa? Non ratione Naturæ, in morborum initijs excernitur aliquid, ſed ipſiuſmet morbi cauſa euacuatur. Coctiones, Naturæ ſunt opus, & Medicus ſi Naturæ eſt emulus, coctionem debet moliri. In humorum cruditate benè aliquid euacuari eſt impoſſibile. De quodam Pario 3. epid. ſect. 3. ægroto 1. hiſtoriam refert Hippocrates, qui febre acuta correptus, vrinis exiſtentibus malis, centeſimo vigeſimo die obijt, à principio illi vſquè ad finem eſto lubrica extitiſſet aluus, & biliosa, multa, & humida excreuiſſet. Ac tandèm 1. epid. ſect. 2. com. 37. vt dicit Galenus „ *Qui procedunt morbi à coctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus conſequuntur emolumentum*.

Nec ſe decipiant Medici, ex pharmaco in principio morbi aſſumpto, aliquem ſi vident non mori: valentes etenim vires, Medicorum contemnunt errores: quemadmodùm ſanguinis pariter miſſione relicta, 9. meth. cap. 4. vt dixit Galenus, pereunt quidem ægri, niſi illos virium robur à manifeſta morte eripiat: immò tanti momenti valentes ſunt vires, vt irreparabilis ſi quandò eſt morbus, mortem ſaltem retardent, ſicut 3. epid. ſect. 2. ægroto 12. de muliere illa, ab Hippocrate relata Galenus aſſerit, quæ mortali morbo correpta, ſuperſtes eſſe non poterat, ſed nono, aut vndecimo illa mori debebat; vſquè tamen ad decimum quartum diem, vitam produxit, propter ætatem iuuenilem, & Naturæ robur. In ſalubri morbo, crudi vbi ſunt humores, medicamentum ſi detur, mortis periculo æger exponitur: cibus nanquè, vt in Philonis filia intempeſtiuè tributus, ſi mortis eſt cauſa, quantò magis medicamentum. Nunquàm bonus ex pharmaco, in principio morbi, ſortitur effectus, ſed regiſtrata ab Hippocrate in 1. epid. ſect. 2. tex. 46. hæc accidunt mala „ *Cruda, & incocta, in malos abſceſſus conuerſa, aut acriſias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas*. In maligno tamen affectu, coctio vbi fruſtra ſperatur, medicamento exhibito, cùm humorum euacuatione, animam ſimul, euacuari eſt neceſſe. Coctionem non quia malignus non recipit morbus, ſtatim in illo, eſſe idcircò purgandum, aliquis credat: ſufficit nanque omnia cùm ratione facere; & deſperatos prætereà non oportet attingere, ſed relinquere, & morbi finem tantummodo prænunciare. Nihil temerè eſt agendum, ſed morbis vt proſit, ſe exercere Medicus debet, non autem vt noceat. Agentes aliquid, vel periclitari, ſeu ſatius eſt anceps auxilium experiri, quàm nullum, Thucydidis hæc ſententia in medicamento locum non habet, ſed in ſanguinis miſſione, vt lib. 2. cap. 10. his verbis à Celſo ediſcimus, *Sed ſi nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque ſit, qui laborat, niſi temeraria quoquè via fuerit adiutus, in hoc ſtatu boni Medici eſt oſtendere,*

dere, quàm nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique quantus in hac ipſa re ſit metus: & tùm demum ſi exigatur ſanguinem mittere, de quo dubitari in eiuſmodi re non oportet: ſatius eſt enim anceps auxilium experiri quàm nullum. Ex ancipiti prætereà auxilio, error qui accidere poteſt 10.meth.cap.10.vt docet Galenus, mortiferus, aut irremediabilis eſſe non debet: at ex pharmaco aſſumpto, error qui accidit, ineuitabilis eſt,, *Nam quòd ſemel in vĕtrem deuoratum eſt medicamentum,* ex Galeno in libro de ratione curandi per ſang. miſſ.cap. 12.ſicut habetur, *quo minus omne deuoratum ſit, fieri non poteſt: neque poſſibile eſt, vbi pluſquàm conueniat iàm purgetur homo, partem oblati auferre: at in ſanguinis miſſione, ſummum id bonum eſt, euacuationem dùm voles, poſſe ſiſtere, ac rurſum, quo videatur tempore, fluere ſinere, quoaduſq; rectè habere appareat.* Non ergo in morbi principio purgare, Hippocratis & Galeni eſſe dogmata, ex meis ſcriptis colligat vnuſquiſque. Tanquam cadauer, vt aiunt, ægrum qui purgat, quàm ſit Nerone neronior, ſaracenis crudelior, ex hoc, omnes cognoſcant. Incoctos tandē qui euacuat humores, Medicus ille nō eſt ſed carnifex homicida.

At in propoſito caſu, talium Medicorum ad improbandum errorem, argumentis ego non vtar; ſufficiant nanquè illa, quæ ſuperius à me allata fuere; ſed ſolummodo Doctores iſtos Medicinæ leges non obſeruare, immò & quòd talis craſſa ignorantia, nequè ab Aſino, quem, vt ferunt, legere edocuit Auguſtinus de Seſſa, facta fuiſſet, præſens, & futura vt intelligat Ætas, aſſero ego, & ſic contrà illos defendo, quòd nempè in Hepatis inflammationis principio, nulla Hippocratis, aut Galeni doctrina quomodolibet medicamentum concedit: & vna tantùm, ſi pro ſe ipſis afferant, artis medicinalis, tanquam inſcius ego, & victus cadam, & victus cedam.

Sed dices primò Hepatis inflammationem ſi Doctores iſti non cognouerunt, illis ergo falsò talis attribuitur error.

Reſpondetur purgandi errorem nullo modo poſſe illos effugere: inflammatum nanquè Hepar ab illis cognitum non fuiſſe quamuis ſit verum, à febre tamen cùm ſignis illis, & ſymptomatibus, quæ tactu, oculis, & auribus ſentiebant, ſi cæci, ſurdi, & tactu priui, non erant, indicatio ſi ſumatur, contrà omnem Medicinæ legem medicamentū tribuere proculdubio eſt hinc aſſero iterū quòd vniuerſali in febris principio, turbidæ vbi ſunt vrinæ, morbus regius virtus debilis, difficultas ſpirandi, extremorū ſubfrigiditas, immò & in quartę acceſſionis principio, per duas horas, totius corporis liuor, & alia omnia, in quarto die colloquij, quæ vnanimiter vidimus, audiuimus, & tetigimus, aſſero, inquam, quòd Hippocratis, aut Galeni, quæ in hoc caſu, quomodolibet medicamentum concedat, vnam ſolùm Doctores iſti afferant doctrinam, & erunt iterū de me triumphantes: vel ægros cu-

rare illorum, non eſſe, fateantur officium, ſed ægros occidere.

Dices ſecundò, quòd magna, & eleuata voce, hac in re Doctor Chiaritius, ad medicamentum probandum tres attulit rationes; quarum fuit prima, quòd in ægrotante vrgebat, & turgebat humor: nam cubilis de loco ad locum ſæpè ſæpius mouebatur. Secunda, quòd Hippocrates, in febrium principio, cruda vbi eſt materia, ad illam minorandam exhibet lac. Et tertia tandem, quòd Hippocratis ille textus „ *Concocta medicari &c.* de paruis, non de magnis intelligitur morbis.

Verùm, ne mancus reſpondendo videar, ab eius magna, & eleuata ego incipiam voce: vndè aſſero quòd Philoſophus ſi Chiaritius eſſet, magnam, & elenatam, in colloquijs non ederet vocem. Rationem edijcere ſi ipſe cupit, obſeruet, quæſo, quòd inter omnia animalia magnam vocem, Aſino tantùm, Natura conceſſit, adhoc fortè, vt ex illa, eius ſenſuum ruditas cognoſceretur, homini verò placidam, & modeſtam Natura vocem donanit; ex eo nempè, quia vt Rex animalium ab Aſini viliſſimi bruti conditionibus, recedere, quàm longè debebat. Ad Aſini ergo conditiones accedit, ex hominibus magna, & immodeſta, qui vtitur voce. Hinc eſt quòd ſapientes omnes, placida voce, pauca loquuntur: & in celeberrimi illius Philoſophi Schola tacere prius, deindè loqui edocebantur diſcipuli „ *Loqui ignorabit, qui tacere neſciet*, dixit Pittacus, ex ſeptem græcis ſapientibus, vnus. Fatuæ mentis, immodeſta vox, eſt certum ſignum; & nec alios, nec ſe ipſum cognoſcere, eſt pariter argumentum. Pauca Sanctus Thomas loquens, Bos mutus à Condiſcipulis dicebatur: at mutulæ eius loquelæ audientur in æternum. Non prædatur Canis latrans, ſed prædam attingit, tacitè qui illam ſequitur. Imperterritos pertranſeuntes reddunt, quæ fulmina murmurant: at muta, viatoribus, timorem inferunt, & tremorem.

Sed eius rationes iam enodemus. Nec Doctoris huius, (derideri ſi debent indocti non impugnari,) ridicula quod ſoluam ego argumenta, miretur aliquis: impugnantur nanquè illi aliquando, non quidem diſputandi gratia, ſed compoſitionis, vt ſint traſtullus, & iocus: hinc ridiculis ſub auſpicijs, Chiaritij ſic derideo doctrinas. Aſſerit ille primò, quòd humor in tali ægro turgebat, quia mouebatur ipſe, de cubilis loco ad locum. Sed videte, muſcam, ſi credit iſte Elephantem. Simplicem nanquè corporis motum ex internis, & externis, cauſatum ardoribus, refrigerij inueniendi cauſa, turgentiam exiſtimat. Non corporis prætereà ſed humorum inordinatus hinc inde eſt Turgentia, motus; adeò vt vagantes humores, nunc caput, nunc tybia feriant, nunc Cor, nunc oculos, nunc ventriculum, nunc ad alias corporis partes oberrent: at inordinatus humorum hic motus,

tus, in languente non erat. Aſſerit vlterius, quòd etiam humor ille vrgebat. Et ecce quòd non ſolum terminos medicinales neſcit, ſed contradictoria loquitur iſte indoctus. Vrgere nanquè humorem ſignificat iam defixum in parte, at illum eſſe vagantem, turgere oſtendit: ſed fixum eſſe, & non fixum contradictoria ſunt: ergo eſt contradictoria loquutus.

Ad ſecundum de lacte. Reſpondeo; quòd melius legat ipſe Hippocratem, & non ſolùm videbit, quòd in febribus, concocti, necnon ad expulſionem parati, quandò adſunt humores, lac Hippocrates exibet, ſed etiam quandò febris non adeſt, lac tribuere debens, antè eius exibitionem, multis modis, primò humoris coctionem procurat. Non ſoluo textum aliquem, quia nullum ipſe enarrauit.

Ad tertium, quòd nempè Hippocratis ille textus „ *Concocta medicari* &c. non de magnis, ſed de paruis intelligitur morbis. Reſpondeo ego, & fateor quidem, quod Doctoris Chiaritij eſt hoc commentum nouum. Attamen ſi græcus ille Poeta, ſua carmina quia inconcinnè figulus decantabat, omnia vaſa, quæ ipſe elaboráuerat, Poeta infrinxit: ſic Hippocrates, ſi viuus eſſet, ſuum textum tam falsò, & indoctè à Chiaritio ſi explicatum audiret, Chiaritio infrangeret caput.

Et ecce (hæc mea ſcripta ò vos, qui legitis) Naturæ dogmata, & principia quàm ſint infallibilia, & vera: in magna nanquè, & eleuata Chiaritij voce, argumentorum, & conceptuum nullitas, ecce iam obſeruata. Non ergo, Chiaritij diſcurſum, veluti dulcis eſſe Philomenæ cantum, ſit qui exiſtimet: ab hoc mendacio ille offendetur: ex meis etenim dictis, reſponſionem fortaſſe colligent aduerſarij, Chiaritij concedentes diſcurſum, eſſe quidem Philomenæ cantum, ſed Philomenæ rudibilis, in menſe Maij.

Dices tertiò quòd Chiaritius hac in re, ad ſuæ opinionis confirmationem, necnon vt me impugnaret, duorum foliorum compoſuit opuſculum, cuius titulus erat „ Aſſenſus, & Diſſenſus Medicorum: quodque in lucem edere iactabundus publicè declamabat, & veluti pretioſam gemmam, illud ab omnibus exiſtimaturum fore, aſſerebat.

Sed non adhùc vſquè, in lucem pretioſa hæc gemma comparuit; & tantum admirari opus quòd ingenia priuentur, Chiaritij eſt crudelitas magna. Sed de ſui partus ſuffocatione, ab experientia edoctus, rationem ego aſſignabo: ſuum opus non edidit Chiaritius in lucem, quia ſuum erat, & conſequenter ridiculum: edidiſſet quidem alterius ſi fuiſſent Auctoris. Exemplum ſi quis concupiſcit, in memoriam Salernitani reuocent, dùm contra centum Medicas concluſiones, theoricas quidem ad Ariſtotelis mentem, practicas verò ſecundum Hippocratis, & Galeni principia, ad quas defendendum, me

aſſiſtente, meus erat accinctus diſcipulus, vt,inquam,contrà illas arguerent, tùm Salernitani ſtudij Lectores, tùm ex alijs vicinis partibus,illuſtres habiti viri à me conuocati fuere;non tamen Chiaritium iſtum conuocaui, ex eo quòd, obſcuri nominis erat,& erubeſcebam præterea, in meo circulo Doctorem eſſe arguentem, qui gratiosè Doctoratus recepit inſignia:textum etenim recitando,à præfationis principio vſquè ad finem, turpiter Chiaritius memoria defecit; hinc à Collegis,nigras multas habuit fabas,ſed tandèm amicorum in gratiam, gratiosè ad Doctoratus gradum fuit aſſumptus: nec poſt hanc contumeliam, literarium aliquod geſtum,de ipſo fuerat auditum.

At ſuum reſarcire honorem, in hoc circulo credens infælix, prouocatoriam Epiſtolam, quam eius precibus Pater Franciſcus Iordanus Ieſuita, humanitatis magiſter compoſuerat, luci glorioſus mandauit. Inſanæ mentis ridiculos motus iſtos, deridebam ego: at ſali, & felli meo calamo intincto reſpondere ſi ſcirem, vt cognoſcerent omnes,illam legere anxietate magna exoptabam; quando Pater Ieſuita per Ioannem Baptiſtam Ferrarium,tunc temporis eius diſcipulum, Epiſtolam ad me demiſit, in illa, ex quo dolerem, non aliquid eſſe,vt ego inſpicerem. Epiſtolam iſta erat.

IN LITERARIAM ARENAM, Non vocatus, ſed prouocatus deſcendit, Philoſophicæ, et Medicæ artis Doctor Franciſcus Chiaritius Salernitanus, In Doctorem Vincentium de Petroue Publicum Philoſophiæ interpretem.

NON temerè (erudite Vincenti) ſectatores noſtros ſapientiæ clypeo circumſeptos, literarum acumine laceſſiſti; adeò enim in opulento Scoti Emporio elaboraſti, vt meritò tuum ingenij horreum, præ grauitate laxetur. Itaque Philoſophiæ principijs tutè innitens, illam, per ſummam dignitatem ſuſtentas, vt nedum eos, qui ſe argutis concertationibus dedere nuncium; verùm & eorum,qui ad illas ſedulò incumbunt,terres propugnacula. Quidni ergo,ſi præceptorum tuorum (licet ab ipſis dein deriſas) ſententias defendere polliceris? illud Perſei aſſeuerans (velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno) ſi vt à veritate aliena, ac temeritate notata vulgi dogmata refellis? Maioris profectò nominis eſt, vt Princeps eloquentiæ teſtatur, à veritate aberrantes tueri ſententias, quàm

iniquè damnatis penitùs adhærere. At ò gloriæ capeſſendæ cupiditas; opinaris poſt greſſus viam ab auctore reiectam, comprobata experientia certiorem? Nihil quippè temeritate turpius, nec quicquam tàm ſapienti indignum, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum ſine vlla dubitatione defendere: niſi fortaſsè tuum inducas in animum, tuarum ſententiarum veritatem petra firmius (cuius nomenclaturam iactas in cognomine) ad competitorum obiecta ſtare. Verùm fundamentorum firmitas alta ſæpè ædificia eluſit. Arbitraris ne, tuæ exiſtimationi opprobrium ea perſequi dogmata, quæ altioris fortaſſe ingenij olim fuere? Si ita eſt, vt ſingulari doctrina tua, mentis noſtræ inſcitias deleas, amicè tibi contradicere decerno, vt crebris argumentorum ictibus ab hac petra lucidas valeam excutere ſcintillulas, & ad ſapientiæ attingenda confinia, & ad inſcitiæ caligines repellendas: ſic pro noſtra inſcitia obliteranda, ream (vt inquis) medendi rationem, à culpa mihi ſpondeo vindicaturum; quin ſi tibi lubet, omnibus aſſertionibus me obiecturum pro veri parte ſuſcipio.

Lecta à me Epiſtola, paucis horis, ſub nomine defendentis diſcipuli, hanc ego reſponſionem compoſui.

Franciſco Chiaritio Salernitano, Philoſophicæ, & Medicæ artis Doctori.

Anſelmus de Marone Vetranus S. D.

NON potui (ò Chiariti) tuas præceptori meo Vincentio de Petrone, demiſſas non admirari literas? (tuæ ſi illæ ſint, aut Patris Iordanis.) Literaria enim arena vocatis, & non vocatis conceditur illa communis: immò & te non vocauimus, non prouocauimus: neutrius cauſa aliqua erat: vocantur etenim, & prouocantur non qui ſcire ſe iactant, ſed quorum ingenia, ſuam diſputando in circulis ſapientiam, millies demonſtrarũt, aut quorum ſcripta, quæ prodierunt in lucem, lucem literis addiderunt. Vel ſcribendi rationẽ fuiſſe dices, tui nominis ſic forſan credens immortalitatẽ aucupari. At credulus aberraſti. Hoſtem nanquè non vox deterret, aut vibratus enſis, ſed ictus, ſed vulnera. Triumphum, qui canit ante victoriam, artis militaris eſt inſcius, belli exitus cùm ſit incertus. Vel tàm falſas, aut temerarias noſtras credis ſententias, vt ex ſe ipſis ſolo auditu, temeritatis faciant argumentum? Sed falleris, & noſtras concluſiones, aut non legiſſe, aut non intellexiſſe videris: Hippocratem enim, & Galenum, in Medicis ſequimur

theo-

theorematibus, Ariſtotelem in Philoſophicis, in quibus Galeno ſi contradicimus, abs re non eſt: Philoſophorum equidem non eſt Princeps Galenus, ſed Medicorum; & in meſſem alienam, ſine fallacia, non eſt immittere falcem. Vel forte iactabundus ſcripſiſti, vulgarem cupiens, exili hoc ſcripto, captare gloriam, ac apud omnes ingenio illuſtrem, admirationeq; dignum exiſtimari? Sed ò, in literarijs duellis inexpertus, & nouus. Parturient montes, & naſcetur ridiculus mus. Verùm quæcunque illa ſit ſcribendi hæc cauſa, Age nunc, Eia ergo, tuam experiri fortunam Audacter literarium exi in duellum: animo ne te perdas: non enim Collegæ ſumus nos, Doctoratus inſignia qui inferimus; immò & mei MARIS (cuius in cognomine iacto immenſitatem) benigno aquarum ſcientifico affluxu, ſi qui ſpiritus diſperdentur, reuocabo. Fer itaqne argumentorum ferrum. da inſtantiarum tela: ſcande noſtros fundamentorum muros. Strenuus non eſt miles, hoſte qui abſente, ad arma, ad arma proclamat; ad cuius deinde aſpectum, terga hoſtili ferro demonſtrat, ſed vibrato enſe pectus inimicū inuadens, aut vincere qui decernit, aut mori. Ventos in mari non vocet, naufragia ſi quis timet. Expande igitur quæſo, literaria Aquila tui ingenij alas, & immortalitatis inſpiciendo Solem, ſpeculationum arripe nunc volatum. At ignorantiæ, vel falſitatis ceræ, caueas obiectionum tuas infigere pennas: diſſoluetur quidem illa à veritatis, percuſſa mei præceptoris Petra, qui eruitur igne, & proculdubio cadens, eris profectò, ſed infælici ſorte, æternus. Sic cereis alis, Icarus per aera volans, liquefacta ad Solem cera, cecidit (ò audacem) ſua morte immortalis. *Icarus Icarias nomine fecit aquas.*

Diſputationis denique venit dies: & ſuam in circulo mihi non audens ille, demandare Epiſtolam, ex eo quòd à Ieſuita fuiſſe illam compoſitam, ſciebant iam omnes, meam ipſi, non ſine magno adſtantium riſu, præſentari ego iuſſi: nec tanta ludibria (ò mirum) brutalem eius valuerunt diminuere vocem, ſed alta & temeraria, contra octauam concluſionem ſic fuit ille argumentatus. Concluſio talis erat „ *Hinc ſi contraria in eodem ex Ariſtotele collocantur genere, erit morbus formaliter primarum qualitatum ametria: per hanc tamen, non harmoniæ ſimpliciter priuationem intelligas, ſicut per diſſimilitudinem, ſimilitudinis priuationem ſimpliciter Philoſophi non intelligunt.* Argumentum fuit iſtud. Ametria eſt Relatio, & Relatio non agit: ſed morbus agit, quia lædit actiones: ergo morbus primarum qualitatum non eſt Ametria, ſeu Relatio.

Sed ſtatim Doctorem iſtum concluſionem meam non intelligere, omnibus ego manifeſtaui. Morbus etenim conſideratur dupliciter, vel materialiter, & vt ſic eſt qualitas excedens: & hæc eſt illa quæ

agit,

agit,& actiones lædit. Vel conſideratur formaliter, & vt ſic,quatuor qualitatum eſt ametria; quæ cùm ſit relatio, & relatio non agit, ita formaliter morbus non agit. Si ergo in concluſione non indefinitè, ſed ſignanter,quòd morbus formaliter eſt ametria, à me explicatur: & Medicorum eſt vulgaris doctrina, quòd morbus materialiter etiã conſideratur, ſecundùm quam rationem & agit, & lædit: publicè ex his concluſi, quòd primos adhùc medicinæ terminos ſi ipſe ignorabat, concluſionem non intellexiſſe mirum non erat.

Inſtauit ille, & balbutiens idem dixit quod ſupra. At ego principium petere demonſtrans,deriſioni illum expoſuit, & fuit finis.At de Chiaritio iam riſiſſe ſit ſatis: ad alios nunc pertranſeamus errores.

ERRASTIS quartò vnanimiter, Mannam in medicamento apponentes. Hippocratis enim ſententia eſt, vt 2. libro de naturalibus facultatibus cap.8. Galenus aſſerit, quòd Mel bilioſis naturis non eſt ex vſu: ſubitò nanque in bilem vertitur: ad dulcedinem enim generandam qui neceſſarius eſt calor,in Melle inuenitur: in alijs verò,quę ex ſua natura calida non ſunt, per coctionem acquiritur: hinc eſt quod Mel coquendo, non ſit dulcius, ſed citius quàm alia, fit amarum: & hac etiam de cauſa, vt ad Hippocratis mentem Galenus idẽ fatetur, morbis Mel non conuenit, quos amara excitat bilis, & calidis, (generaliter ibi concludit) quòd Mel nocet corporibus, ſiuè illa ratione propriæ naturæ ſint calida, ſiuè morbi, ſiuè ætatis, ſiuè temporis anni, ſiuè regionis, ſiuè conditionis vitæ: At Manna, & Mel ſunt eiuſdem naturæ; nam idem Mel, ex plantis prout colligitur, Mel roſcidum, & aereum appellatur,ſeu Manna: ab animalibus verò prout accipitur, Mel dicitur abſolutè, in 3. enim de aliment. facult. cap.39. ſic inquit Galenus ,, *Omnis alimentorum materia hactenus duobus generibus eſt comprehenſa, quorum alterum quidem ipſorum, à plantis: alterum verò ab animalibus ſumebatur; ab vtroque verò ipſorum,Mel eſt ſecretum*: Ergo naturis, & morbis calidis, Manna non conuenit, & corporibus generaliter, quæ vel ratione propriæ naturæ, vel morbi, vel ætatis, vel temporis anni, vel regionis, vel conditionis vitæ, ſunt calida ergo in tempore æſtiuo, quamuis ſenex,robuſtæ tamen, & calidæ cùm eſſet æger naturæ, & calidiſſimo laboraret affectu, Mannam in eius medicamento apponere, eius morbum fuit augere, necnon Hippocratis & Galeni dogmata non ſeruare.

Collige ex his primò, Mannam in Galeni temporibus non fuiſſe ex vſu,quàm falſò à modernis Doctoribus, exiſtimari. In loco enim allegato de alimentorum facultatibus multa de aereo melle, enarrat Galenus: immò & in ſua regione,æſtate quadam ſuper arborum, ac fruticum, herbarumque folia, tantam aerei mellis copiam fuiſſe

reper-

repertam meminit, vt ludentes ceciniſſent Agricolæ, *Iuppiter melle pluit*: & quamuis ibi hoc rarò accideret, in monte autem Libano Mannam quotannis perſæpè colligi fatetur: coria enim ſuper terram extendunt,& arbores excutiendo,quod ab illis cadit excipiunt, & in ollis deinde alijſq; fictilibus Mannam illam conſeruant, quam mel roſcidum & aereum, Agricolæ vocant; quia nempè ex roris genere eſt.

Aſſerit prætereà, quòd in plantis calidis, & ſiccis vt thymo, & alijs,quæ colligitur Manna,eſt perfectior: tenuium enim partium ratione,cùm Manna acrimonię quiddam habeat propter quam aluum ſoluit; ſit idcircò vt ex huiuſmodi plantarum calida, & ſicca temperie,tenuiorum partium ſit manna,& efficaciæ maioris.

At quem Manna euacuet humorem, & quibus morbis conueniat, à Galeno ſi quæres.

Mannam reſpondet ipſe tùm in loco allegato tùm in 2. de naturalibus facult.cap.8. in bilem promptè conuerti,nec bilem educere; aut bilioſis cōpetere morbis,aut ob aliquam,ex iàm dictis rationem corporibus calidis,ſed pituitam euacuare, pituitoſos adiuuare morbos,ſenibus eſſe amicam,& frigidis tandem quibuſcunq;corporibus, vel ætatis ratione,vel morbi, vel propriæ naturæ, aut aliter quæ frigida fuerint, accomodatiſſimum eſſe remedium.

Dices non eiuſdem rationis Mannam eſſe apud Calabros quę colligitur, & illam Galeni temporibus in Monte Libano quæ cadebat, & conſequenter huius Mannæ & illius non conſimilem virtutem eſſe eſt affirmandum. Ratio diuerſitatis eſt, nam Manna apud Calabros ex frondibus non ſolùm excipitur, ſed etiam ex quarundam arborum corpore veluti reſudat, immò ſi incidatur arboris cortex, lachrymarum inſtar deſtillat, & coacta Manna appellatur: at illa in Monte Libano nō ex arborum corpore,ſed ex frondibus tantum colligebatur, quare hanc & illam tùm diuerſæ naturæ, tùm diuerſæ facultatis eſſe non immeritò eſt arbitrandum.

Reſpondetur dicendo quòd Mannæ diuerſus colligendi modus non arguit Mannæ diuerſam naturam, necnon & facultatem diuerſam: vna etenim numero apud Calabros Manna eſt è cælo quæ ſuper frondes cadit, & ex arborum corpore quæ excipitur: & per conſequens modus diuerſus diuerſitatem cum non arguat naturæ, ſit idcircò vt à Manna illa, in Monte Libano quæ pluit, hæc Manna apud Calabros non ſpecie, ſed tantùm numero differat.

Quòd autem Manna apud Calabros ſit eadem numero quæ ſuper frondes cadit, & quæ ex arborum corpore educitur, patet clariſſimè, nam illius Mannæ corporis non poteſt cauſa eſſe ipſius arboris natura,vbicumque etenim talis arbor eſſet, Mannam gignere deberet, ſed

ret, ſed eſt illa eadem Manna, quæ è cælo cadens ab arborum ramis excipitur, & quæ per arborũ poros deindè tranſcolat, vſquequò vel ſpontè illa reſudet, vel per corticis inciſionem deſtillet: eo pariter modo quo temporibus pluuioſis ruſtici obſeruant, in quibus ne ob tantam aquæ copiam à ramis intra eorum poros exceptam; arbores præſertim populi, & vlmi putreſcerent, propè radices corticem incidunt, & per illam inciſionem tota aqua deſtillat.

Ab Hippocratis ergo & Galeni doctrina quàm longè aberrent Medici illi ſecundo colligas velim, qui in iuuenili ætate, in biliosis morbis, calidiſque in naturis, Mannam ferè ſemper concedunt, refrigerandi vt inquiunt cauſa; necnon & peccantem bilem leniter educendi, benignum cùm ſit Manna medicamentum. Vel ſic practicantium non falſam eſſe talem ſi quis contendat doctrinam, tunc Mannæ naturam, & vires Hippocratem, & Galenum non cognouiſſe, vt concedant oportet. Vel Mannam ab illis temporibus vſque ad hæc tempora mutaſſe naturam eſt affirmandum.

Erraſtis quintò, Reubarbarum vnanimi conſenſu in medicamento admiſcentes. Sulphur enim appoſuiſti igni, & in languentis corpore ardentem adeò generaſtis flammam, vt nonniſi à Mortis frigiditate illa potuiſſet extingui. Non benignum medicamentum Reubarbarum eſt, vt credunt omnes; ſed medicina maligna, vt Fallopius dicit. Calidi Hepatis animam Reubarbarum eſſe, vulgares declamant Medici; Naturis, & Hepati calido, vt in cura oppilationis Hepatis, Dyſenteriæ, Pleuritidis & alibi mortem eſſe, fatetur Hollerius. Omni tempore, omni ætati, omni morbo, prægnantibus & pueris Reubarbarum conuenire aſſerit meſues, multis damnandum eſſe in caſibus, & bilioſis præſertim nocere febribus, libro animaduerſionum, & cautionum medicarum defendit Septalius.

At verè, exactè rem ſi contemplemur, Reubarbarum naturis, & morbis calidis mortẽ eſſe certe fatebimur, & calido maximè ſi tribuatur in tempore. Spagiricorum nanque eſt continua experientia quòd ex Reubarbaro deſtillato ſpiritus igneus in magna copia exhalat, & Sal, & terra deinde extrahuntur, phlegma verò & oleum non obſeruãtur: ſed oleo & phlegmate quæcunque corpora carent, caldiſſima ſunt: ergo naturis & morbis calidis, calidoque maxime datum in tempore, mortem eſſe Reubarbarum, eſt concedendum.

Collige ergo ex hac Reubarbari partium reſolutione, non in ſecundo gradu calidum eſſe Reubarbarum, vt Meſues dicit, ſed in tertio, vt exiſtimant alij. Sic prætereà quia multum terræ, & ſalis habet, corroborare, & adſtringere Reubarbarum dicimus, & in ſubſtantia datum etiam purgare: in infuſione verò ſi tribuatur, ratione

ſpiritus eius quammaximè comburere volumus, vt ſic enim verè eſt ignis, & adeò in comburendo penetrat, vt ab illo, ſui etiam ſpiritus ratione tingantur vrinæ, quod neque facit Scammonium.

Hinc eſt quòd à Sapientibus Græcis Medicis Galeno antiquioribus, ſimplicium naturam accuratius qui examinabant, ad bilem euacuandam, vel ad refrigerandum Hepar, Reubarbarum nunquàm fuit conceſſum, ſed ad illud ſolummodò confortandum ratione adſtringentis ſuæ qualitatis, necnon ad obſtructiones aperiendas, aut craſſos, & viſcoſos ad ſubtiliandos humores. Quamobrem ad tuſſim, reiectionemque ſanguinis lib. 3. de Remedijs paratu facilibus medicamento 18. Reubarbaro fuit vſus Galenus. Ad Hepatis debilitatem ex frigida cauſa ab Achaaſos illuſtriſſimo Athenarum Medico tribuebatur Reubarbarum. Ad menſtrua prouocandum, necnon ad ſtomacum debilem confortandum Reubarbaro vtebatur Zeno. Ad viſcoſos deniquè ſubtiliandos humores, ad Aſthma, & ad Hepar corroborandum à Socione Clariſſimo apud Græcos Medico Reubarbarum concedebatur.

ERRASTIS concorditer ſextò medicamentum in die impari iubentes. At dicite, Hippocratem vos non legitis, vel Hippocratis dogmata non curatis? Antiquorum abhorretis ſententias, nouas forſan Medicinæ leges, quia vos inueniſtis? Ah non. Antiquas ſequamini doctrinas, ægrorum ſi reſpuitis eſſe homicidas. In die impari medicamentum tribuere, eſt ægrum occidere, vt expreſsè in 4. de morbis Hippocrates his verbis affirmat, *Proinde priores Medici in hoc maximè peccarunt: Medicamenta enim exhibuerunt in diebus imparibus, & homines peremerunt, non ſcientes quòd hæc res ſe ita habet*. Rationem prætereà ſic inquiens, de hac doctrina aſſignat „ *Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum tranſmittente. Et ſi quis iam turbatum, adhùc magis perturbet medicamento immiſſo, nihil miri eſt ex talibus hominem perire*.

Dicetis forſan primò, quòd in quinto etiam die medicamentum ſe dediſſe in 4. de rat. vict. com. 76. ſic inquiens fatetur Galenus, *Quam ob cauſam, & prima interdum die, & ſecunda, & quarta & interdùm quinta medicamenta dedimus, & non in quarta ſolùm quo modo is dixit*: ergo in imparibus diebus iuxtà Galeni mentem poteſt etiam purgari.

Reſpondetur notando primùm, quòd in duobus caſibus, vt firmiter ego credo, medicamentnm tam Hippocrates, quam Galenus concedunt in turgentia ſcilicet, & coctione: at quoniam in turgentia, vagus humorum hinc inde eſt motus, fit idcircò, vt nullæ in turtia à dierum numero deſumantur purgandi leges, ſed quocunque die turgebit humor, quocunque die erit purgandus: hinc benè dixit

Gale-

Galenus quòd prima,ſecunda,quarta,& interdùm quinta die eſt medicandum, denotans forſan per illam particulam (interdùm) raritatem purgandi in hac die, quaſi quòd rarò accidat, vt quinta die turgeat humor: è contrà autem vbi turgentia non adeſt, ſed coctio expectatur, in imparibus non eſt purgandum diebus: in illis enim cùm magis turbetur humor, & ad ventriculum tranſmittatur, ex medicamento perturbatio accidet maxima, & ſic mortem ſubſequi mirum non eſſe.

Hoc notato ad Galeni auctoritatem reſpondeo, & de purgatione in turgentia in illo commento Galenum loqui ego aſſero, non autem de illa quæ præcedente fit coctione: hanc enim in diebus fieri poſſe imparibus contrà Hippocratem, & Galenum hanc doctrinam eſſe exiſtimo.

Sed contra quis veſtrum inſtare poteſt. Nam in illo commento de Pleuritide loquitur Galenus: at in Pleuritide non eſt vagus & turgens humor, ſed determinate vel defluit, vel eſt ad pleuram defluxus: ergo non de purgatione in turgentia ibi loquitur Galenus, ſed de illa quæ coctione fit præcedente.

Pro reſponſione autem eſt adnotandum quòd Pleuritis in Hippocratis doctrina eſt duplex: alia eſt vera, in qua nempè ad clauiculam dolor pertingit: & in hac non purgat Hippocrates, ſed pleuræ cùm illa ſit inflammatio, ſanguinis miſſione vſquè quo rubrior appareat ſanguis, vel pro rubro liuidus, ab eodem curatur: immò ex quocunque calido remedio ne phlegmones creſcat, tantus in hac pleuritide eſt timor, vt in 4. de ratione vict. tex. 75. poſt ſanguinis miſſionem clyſterem iubeat Hippocrates, ne fortè ſi antea adhiberetur, ab eius caliditate augeretur incendium. Alia eſt Pleuritis non vera, ſed æquiuocè dicitur talis, cùm Pleuritidis ſolum nomen participet: in hac autem dolor ſub ſepto infeſtat, nec ſanguinis miſſione, ſed peplio & veratro humores illam cauſantes educit Hippocrates.

At ſi quærat aliquis, cur Pleuritis in qua dolor deſcendit, non eſt vera Pleuritis?

Reſpondeo ergo triplicem eſſe ob rationem: vel ſcilicet ratione humoris, vel ratione loci, vel ratione propriæ naturæ. Differunt itaq; primò ratione humoris: nàm in vera Pleuritide, ex Hippocrate in libro de locis in homine peccat humor bilioſus, in alia autem non vera, phlegmaticus, & melancolicus: Patet hoc ex eodem Hippocrate, qui in Pleuritide in qua dolor deſcendit, nigrum veratrum vel pepliũ iubet: peplium enim pituitam trahit, veratrum melancoliam: at non iubet Scammonium, quòd bilem purgat vt in 4. de rat vict. tex. 64. Hippocrates docet. Differunt ſecundò ratione loci: nam partes quæ ſunt ſub ſepto tranſuerſo, & ſub thorace non veſtiuntur pleura: & ſic

ille dolor Pleuriticus non eſt. Et hanc ob cauſam doctiſſimus in Anathome Hippocrates tunc in Pleuritide purgandum præcipit, quando dolor ſub ſepto infeſtat, *nullumque ad clauiculam ſignum fecerit*: nam ex eo quod in clauicula doloris ſignum ex pleuræ inflammatione exoritur, in illa ergo nullus cùm adeſt dolor, pleuram inflammatam non eſſe, eſt argumentum. Differunt tertiò ratione propriæ naturæ: nàm vera Pleuritis eſt inflammatio: hinc in ſanguinis miſſione ex Galeno ſi momentum omne inflammationis conſiſtit, ſanguinis miſſione illam curat Hippocrates. Non vera autem Pleuritis inflammatio non eſt:& patet hoc clariſſimè:nàm in inflammationum principijs, vt ſuprà nos diximus, medicamentum Hippocrates negat: in hac autem Pleuritide in eius principio, immò & in eius primo etiam die medicamentum Galenus concedit.

Iterùm autem ſi quis quærat. Cur ergo Pleura ſi affecta non eſt, Pleuriticus hic appellatur dolor?

Reſpondetur quòd Pleuritici doloris adhùc retinet dolor iſte nomen,ex eo quòd fluxio in pleuram primò defluxit, deindè infrà ſeptum exurrens, membrum aliquod tandèm ferit,& ibi firmatur.

Ad principalem ergo Inſtantiam, his omnibus adnotatis,reſpondeo ego quod in illo commento non de vera Pleuritide Galenus loquitur: in hac enim non purgat cùm ſit inflammatio, ſed de non vera, in qua inflammatio cùm illa non ſit, medicamentum concedit. Verùm quia in hac Pleuritide non vera, defluxit primo humor ad Pleuram,deindè ſub thorace ad inferiora excurrit:& tùc aſſero,quod per infernas partes indeterminatè ſi humor iſte vagatur, tunc nulla à dierum numero lege deſumpta,eſt ſubitò ille educendus,principem fortaſſe ne partem offendat: in illo etenim motu non ità ad inteſtina,aut ad aliam partem excurrere poteſt, quàm ad Lienem, aut Hepar. At in aliqua parte ſi fuerit poſtea ille firmatus, purgari tunc ſtatim non debet,ſed eius coctio eſt expectanda. Quæ diſtinctio clariſſimè ex his Galeni verbis loco allegato colligitur „ *Quarto verò die medicandum indiſtinctè pronunciauit. Neque enim inter initia aliquod remediorum huiuſmodi ægro iniungere oportet deſumpto à numero dierum ſcopo ſed quod Hippocrates recenſuit eſt exequendum. Nàm vel ſtatim ab initio prius quàm in partem aliquam confirmentur humores, medicandum,vel poſteà cùm ad maturitatem perducti fuerint. Quam ob cauſam & prima interdum die, & ſecunda, & quarta, & interdum quinta medicamenta dedimus,& non in quarta ſolum,quo modo is dixit.*

Vltimo ſi quis quærat. Cur in ſanguinis miſſione dierum non attenditur numerus,ſed virium robore exiſtente, non ſolum ſexto, & ſeptimo mittitur ſanguis, ſed alijs quoquè diebus, vt 9.meth. cap. 5. Galenus exiſtimat: in medicamento autem, cuius exhibitionem

nem coctio præcedit, dierum regula obſeruatur?

Reſpondetur duplicem inter ſanguinis miſſionem, & medicamentum diſparitatem eſſe: prima eſt, nàm medicamentum humores trahit, veluti magnes ferrum, & ſic in illis turbationem cauſat: è contra autem eſt venæſectio: hæc nanque particularem non trahit humorem, ſed æqualiter humores omnes euacuat. Secunda eſt, quia in ſanguinis miſſione euacuationem ſiſtere in Medici eſt poteſtate, at non eſt ſic in medicamento, vt diximus. Ex quibus ſequitur quod in diebus imparibus ſi humorum in ægroti corpore fit perturbatio, vt Hippocrates docet, in illis benè poteſt mitti ſanguis, ex eo quòd nec perturbat, nec immodicè venæſectio euacuat: non ſic autem eſt medicamentum: hoc enim tum magis perturbat, tùm eius euacuationem ſiſtere in Medici poteſtate non eſt.

Dicetis forsàn ſecundò quòd in medicamento exhibendo quietior ſi eligitur dies, languenti idcircò in quinta die Pharmacum nō abs re fuit tributum: hæc enim ad alias cōparata dies, quietior erat.

At reſpondetur, ab illis hoc gratis fingi: de die nanquè in diem febris illa exacerbabatur: immò tertia die, ſi ictericus languens euaſit, fortiorem in tertia die fuiſſe febrem, dicendum. Sed hac in lite Mors decidat ſententiam. Morbi etenim vniuerſale Iudicium, ad quod ſequitur Mors vel ſalus, in illa fit die, in qua grauiores fuere labores: in 3. nanquè epid. ſect. 3. ægroto 3. de Pythione loquens ſic inquit Galenus „ *Iam ſeruatum in hoc etiam eſt ægro, vt iudicia his eſſent prorsùs diebus, quibus grauiores labores: quòd cum in dies pares inciderent, mors quoquè in die eſt conſecuta pari.* Ergo decima tertia die ſi perijt languens, in omnibus diebus imparibus grauiores fuiſſe labores, eſt affirmandum.

ERRASTIS pariter ſeptimò, languenti venis ſedis hyrudines ſeptimo die applicando. Nàm morbi mutatio, vt 3. epid. ſect. 1. com. 8. ex Galeno habetur, in dies incidit decretorios; & hæc mutatio non fit ſine pugna, & certamine inter morbum, & naturam vt 3. de Criſ. c. 9. docet idem Galenus: ergo in ſeptimo die, qui omnium decretoriorum ordine, potentia, & dignitate, decretorius eſt primus, non debet extrahi ſanguis.

Conſequentia patet. nàm per ſanguinis euacuationem Naturæ diminuitur robur: pus enim aut aqua ſi euacuentur, quia cum illis multi ſpiritus exeunt, vt 6. aph. com. 27. affirmat Galenus, adhùc tamen Natura patitur: ergo in ſeptimo die, qui eſt dies certaminis, non debet extrahi ſanguis: nàm vel cùm morbo debilitata Natura non aggredietur pugnam, vel victa pugnando ſuccumbet.

Confirmatur primò, nam ex vulgata Auicennæ doctrina nō ſolùm dùm Natura mouet, Medicus mouere non debet, immò etiam nec

hora

hora motus Naturæ: ſed ſi ptimus dies ad Naturæ motus eſt opportunum tempus: ergo nullum motum ſeptimo die moliri Medicus debet: ergo nec ſanguinem mittere.

Confirmatur ſecundò. nam vt 1. aph. tex.8. Hippocrates aſſerit, *Quum morbi vis eſt maxima, tenuiſſimo victu eſt vtendum*: ergo quanto magis in decretorio die, in quo maxima inter morbum & Naturam eſt pugna, non eſt ſanguis mittendus.

Conſequentia probatur: quia cibus ex eo quòd ab opere ſuo in concoquendo, & ſuperando morbum, Naturā diſtrahit, eſtò multus exhibitus quammaximè virtutem reficeret, adhùc tamen ab Hippocrate condemnatur: ergo quanto magis in decretorio die, & præſertim ſeptimo, non eſt ſanguis mittendus: tùm quia à pugna Natura diſtrahitur: tùm quia ad pugnam debilis Natura redditur.

Dicet aliquis quòd ex allegato 9. meth.5. ſanguinem ſeptima die extrahi poſſe concedit Galenus: ergo hac in re iſti Medici non errarunt.

Reſpondetur quòd regulari curatione, ob cauſas iam dictas, ſeptimo die non debet, quidem extrahi ſanguis: curatione verò coacta, quando ſcilicet vel Medicorum ignorantia vel laborantium timiditate non fuit antea ſanguis miſſus, tunc ſeptimo die ſi accedit Medicus, ſeptimo die poteſt mittere ſanguinem, vt 3. epid. ſect.3. ægroto 8. in Anaxionis pleuritici hiſtoria fatetur Galenus; de ſanguinis nanquè miſſione in nullius ægroti hiſtoria 1. & 3. Epidemiorum libro deſcripta, Hippocrates mentionem cùm fecerit, in ſolo tamen Anaxione venam octauo die ſecuiſſe refert, non vt ſolo, cui ſanguinem miſit, ſed vt octauo die ſolo: huius duplicem cauſam ſpeculatur in commento Galenus, vel ſcilicet quòd vltra quartam diem, contrà illos qui vltrà quartam, venas non incidebant, poſſe ſanguinem mitti Hippocrates oſtendere voluit: vel „ *Nonnullis etiam ægris, videtur non fuiſſe ab initio præſtò.*

Quòd præterea in allegato 9. Meth.cap.5. de curatione coacta loquatur Galenus, clariſſimè hoc ipſe dicit: poſtquàm enim ſeptimo die, & ſequentibus, ſanguinem poſſe extrahi affirmauit, ſic deindè inquit „ *Quòd ſi curare aliquando infirmum cogeris, cui non ſolùm antea ſecandæ venæ remedium prætermiſſum eſt, ſed nunc quoq; vel per Medicorū ignorantiā, vel ipſius laborantis, propinquorumve eius timiditate procedēte tempore mittere ſanguinem probiberis, ad frigidam exhibendam accedes.* ecce ergo quòd per illam particulam, cogeris, coactam ſignificat curationem Galenus: nàm regulariter in mittendo ſanguine non ſeptimus aut alij ſequentes expectantur dies, ſed ſtatim ad ſanguinem detrahēdum feſtinare oportet, vt in hoc eodem capite docet. immò, in Pythionis hiſtoria ſe reſtringens ad dies, ſic in 3. epid. ſect. 1.

com.2. inquit „ *Oportebat igitur Hippocratem, cùm hominem animaduerteret in periculo eſſe ad ſanguinis miſſionem accedere, aut primo die ſi nullum contineret venter crudum cibum, aut omnino altero.*

Dicet ſecundò quòd criſim non ſemper in diebus decretorijs Natura molitur: ergo non ſemper in illis non eſt ſanguis mittendus, ſed ſolummodò iudicium quandò debeat fieri, quod ex præcedentibus cognoſcitur ſignis.

Reſpondetur conſequentiam negando ex eo quòd Criſis eſt ſubita mutatio ad ſalutem vel mortem: at ſubitaneos, & repentinos Naturæ motus, vt certè præuideat Medicus, difficillimum eſt; hinc decretorijs diebus in remedia exhibendo vt quammaximè ſit cautus, oportet: nam ex mortiferis morbis illi ſanantur in quibus nullus ſit error, vt 6.epid. ſect.2. com.42. docet Galenus.

Dicet tertiò quòd in imparibus diebus cùm grauiores adſunt labores, fit etiam in imparibus generale totius morbi iudicium; è contrà autem in paribus: ergo in paribus diebus quando afflictio eſt maior, ſeptimo die poteſt ſanguis educi: quia ſeptimo die in morbis iſtis non fit iudicium.

Reſpondetur quòd licet in morbis iſtis, in quibus grauiores adſunt in diebus paribus afflictiones, in imparibus poſſit ſanguis educi, adhuc tamen eſt ſeptimus excipiendus, cum Criſis in diebus paribus quando eſt ad mortem celebratur in ſexto, quando verò ad ſalutem vſque ad ſeptimum ſe extendit, vt 1. de diebus decretorijs cap.4. his verbis dicit Galenus „ *Etenim qui in quarto ad peiorem ſtatum recidunt, plerique ſexto moriuntur. e contrario rurſus ſi bona conuerſio contingat, ſeptimum expectabit.* Et hanc collige ob cauſam quòd in paribus diebus eſtò morbus ſit maior, ſeptimo tamen die non poteſt extrahi ſanguis.

ERRAVIT octauo Chiaritius pubem oleo amigdalarum dulcium inungendo; vrinam, quæ poſt Pharmacum per duos dies defecit, ſic prouocare credens. Sed dicat quæſo iſte Doctor, ad hoc exhibendum remedium indicationem à quo deſumpſit? Suppreſſam forsàn exiſtimauit vrinam? At à qua cauſa illa ſupprimi poterat? Supprimitur vrina, vt paſſim in aphoriſmis, ex Galeno colligitur, vel à pure, vel à ſanguinis grumis, vel à caruncidis, vel à lapide, vel à ſuccorum craſſitie, vel ab inflammatione: at non à primis quatuor cauſis, vrinæ in languente exoriebatur ſuppreſſio; vt de ſe eſt certum. Non prætereà à ſuccorum craſſitie: vt ſic enim magis ante Pharmacum fuiſſet illa ſuppreſſa, quàm poſt tantam a pharmaco euacuationem. Non deniquè ab inflammatione: nullus enim in partibus vrinarijs aderat dolor: qui non ſolummodò Phlegmonis ratione, ſed ſuppreſſionis eius quæcunque alia fuiſſet cauſa, in veſica

ratione vrinæ collectæ, ac diſtendentis illam, adeſſe debebat. Non ergo ſuppreſſa erat vrina, ſed à calore febris ex calido medicamento, magis adaucto, fuit illa abſumpta: quemadmodum in febre ardēte 1. epid. ſect. 2. com. 75. quòd vrinæ ſunt paucæ Galenus aſſerit, ex eo quòd ipſe inquit „ *Omnis eſſet ex ſanguine humor ab ardēte febre toſtus*. Vel dicendū quod magiſtri Grilli fuit Chiaritius imitatus remedia, qui ob ſpinam in gutture dùm mulier deglutire non poſſet, palmo Grillus metiebatur pedem, hinc tanto mulier fuit deprehenſa riſu, vt ſpinam ridendo eiiciſſet: In toto pariter venenoſo genere cùm eſſet affectio, ex ſanguine videlicet omnis humor ab ardenti febre abſumptus, in pube oleum applicauit Chiaritius: hinc de tali aſinitate ridens fortaſsè Natura, lacrimulas ſi aliquando prouocat riſus, ridendo lacrimata fuit illa, & ſic paucas vrinæ ſtillas per longa interualla languens mingebat, deridentis Naturæ deriſionis lacrimas.

ERRAVIT nonò Chiaritius, Hepatis quoquè regionem Abſinthij oleo & Capparis immediatè poſt Pharmacum inungendo: in tumorem enim poſt Pharmacum fuit illa eleuata, & ex obſtructione tumorem illum fuiſſe exortum firmiter ille exiſtimauit. Sed brutale Doctoris huius ingenium contempletur quæsò vnuſquiſque. Non aderat in Hepatis regione antè Pharmacum tumor, poſt Pharmacū verò ſtatim apparuit, a quo itaquè hæc obſtructio tumoris cauſa, vt ipſe inquit, immediatè poſt Pharmacum potuit exoriri? Vel quidem à medicamenti calore, vel à tāta euacuatione vt fateatur neceſſe eſt, non alia enim quæ fuiſſet cauſa excogitari poteſt, ex eo quòd poſt euacuationem abſquè vllo ægrotantis errore, ſubitò fuit tumor ſequutus: at ex iſtis quamlibet ſi concedat cauſam, ridiculo ſuo ingenio ſpeculationes edet condignas: Obſtructio nanquè antè Pharmacum ſi verè extitiſſet, tùm ab ardenti calore, tùm ab immodica euacuatione poſt Pharmacum fuiſſet illa quidem ablata, & non adaucta. Non ergo ab obſtructione, ſed à Phlegmone tumorem illum in regione Hepatis cauſatum fuiſſe, eſt affirmandū: immò ex oleo ſi ignis augetur, ex igneis illis oleis inflammationem deueniſſe maiorem dubitari non poteſt: hinc ad interitum cùm æger abiret, ad vnctionem ſolummodo mortis referens cauſam ex illis Medicis vnus, de hoc remedio dixit „ *Quod fecit Chiaritius, non feciſſet Chiaieſius*.

Sed contra inſtabit aliquis, ex eo quòd abſinthij oleo ad Ventriculi, & Iecoris inflammationem 11. Meth. cap. 16. fuit vſus Galenus. Immò Theagenem Philoſophum Hepatis Phlegmone laborantem, non aliam ob cauſam 13. Meth. cap. 15. ab Attalo fuiſſe refert occiſum, quam quòd relaxantibus Cataplaſmatis abſinthij oleum, aut aliud adſtringens, noluit Attalus admiſcere: Non ergo hac vnctione languenti mortem dedit Chiaritius.

Reſpon-

Reſpondetur à culpa non propter hoc Chiaritium vindicari, ſed eius errorem, magis argumentum hoc declarare. In Ventriculi nanquè, aut Iecoris phlegmone, ex eo quòd toti Corpori ſunt illa viſcera ex vſu, eorum ne exoluatur virtus, relaxanti cataplaſmati abſinthij oleum quod adſtringendi pollet facultate admiſcet Galenus: at abſinthij oleo non relaxanti cataplaſmati admiſcens, Hepatis phlegmonem cum ipſe non crederet, ſed ad illius obſtructionem tollendam, fuit vſus Chiaritius. Abſinthio pontico quo nos caremus tùm folio, tùm flore, tũ odore, tùm facultate à noſtrati diuerſo vtebatur Galenus: oleum ex noſtro amaro abſinthio applicauit Chiaritius. Adſtringit adſinthium ponticũ, vt allegato 11. meth. docet Galenus: vel obſcura in amaro abſinthio adſtringendi facultas, vel nulla prorſus ſentitur. Eſt aromaticũ abſinthiũ ponticum: eſt fœdi odoris abſinthium noſtrũ. In Hepatis phlegmone ſemper pontico vti iubet Galenus: at in illa amarum noſtrum abſinthium fugiendũ eſſe affirmat.

Non prætereà Theagenis hiſtoria Chiaieſio, ſeu Chiaritio fauet: ìmmò potius languentem in occidendo, Attalo ſimilem, Chiaritium reddit. Relaxantibus Cataplaſmatis abſinthij oleum quia non admiſcuit Theagenem occiſit Attalus: ex amari abſinthij oleo quia Hepar inflammatum inunxit, languentis Pepoli fuit homicida Chiaritius. Quid de ægro eſſet? Meliora; interrogatus reſpondebat Attalus. Meliora pariter de Pepolo percõtantibus, teſtabatur Chiaritius. Sanum fore infrà quatuor dies Theagenem gloriabundus promiſerat Attalus, at ſtatuto ſalutis tempore mortuum, iacere inuenit: ex medicamento exhibito ſanitati iam fuiſſe reſtitutum languentem, iactabundus declamabat Chiaritius: ſed iactantiarum in cul nine vndecimo die ad mortem infælix æger fuit condemnatus, decimo tertio perijt, decimo quarto ſepultus. Ab Attalo tamen in hoc, ſolum differt Chiaritius: ad Theagenem nanquè lætus accedens Attalus, mortuum cùm videret, illius prognoſticum Philoſophis, qui aderant Theagenis amici, deridẽtibus, erubuit, & ſiluit: at ex hac vita Pepolo iam diſceſſo, non inquã doctrinæ, ſed ſuę ignorantiæ vagus contumeliam non cognoſcens abſquè verecundia, & recenti vultu ridiculum hac de re componens opuſculum: coram omnibus ridiculè ſe oſtentabat Chiaritius. Sed quæ maiora dicam? O Chiaritium fortunatum quod Galeni temporibus ipſe non fuerit: ab æterno nanquè Galeni calamo contumeliam fuiſſet nactus æternam, Aſinum enim vocauit Galenus Attalum, Theagenis Philoſophi quia Iecoris phlegmonem, cognouit quidem, ſed male curauit, maleque præſagiuit: at Chiaritium, languentis Pepoli quia Hepatis inflammationem, nec cognouit, nec præſagiuit, nec curauit, plusquàm Aſinum, vulgariter vel vt aiunt, Arcaſinum appellaſſet Galenus.

S ERRA-

ERRAVIT decimò Chiaritius Mora ad ſatietatem vt comederet, ægro concedens. Sed ò indoctum, & Doctoris nomine adhuc indignũ. Quàm temerè,& caſu,& fortuna remedia exhibeat Doctor iſte Chiaieſius,ex hoc arguite omnes. Antè cibum abſinthij oleo obſtructionẽ Hepatis vt auferret, illius regionẽ inungit, at ſuæ paulò poſt intentionis oblitus,mora,obſtructionẽ quæ pariunt, ex eo quòd humida,malique ſunt ſucci, vt de ſuccorum bonitate & vitio cap.8. affirmat Galenus, ad ſatietatem concedit. Ventriculi præterea corpus ſqualore cùm æſtuat ex 2. de alimentorum facult. cap. 11. nos, quamuis non liberaliter, moris poſſumus vti: at phlegmone non quandò Hepar laborat. Non longè tandèm à venenoſa abſunt materia, cùm corrumpuntur Mora, ex Galeno de ſuccorum bonit. & vit.in loco allegato: at facillimæ cùm ſint Mora corruptionis, ad ſatietatem illa tribuere,venenũ ſequitur quòd eſt languenti exhibere.

ERRASTIS vndecimò omnes, vinum ægro non prohibentes. At in Calcis inflammatione 2. de fracturis tex. 29. vinum ſi non concedit Hippocrates, vinum in Hepatis phlegmone ad quid vos conceſſiſtis? Ex inguinum inflammatione qui febricitant,donec inflammationes ſoluantur, vinum in 1.ad Glauc. cap.3.ſi negat illis Galenus, cur vos ex inflammato Iecore languenti, vinum tribuere non negaſtis? A vino antequàm morbus concoquatur omninò eſſe abſtinendum ibidem cap. 9. ſi Galenus exiſtimat: ægri morbus ſi ſemper adfuit crudus, vinum illi prohibere cur ergo vos noluiſtis? In magis febribus non vinum ex 11.meth.c.9.ſed aqua frigida pota ſi eſt aptiſſima; languenti, magnam ille ſi patiebatur febrem,quare aquam non commendaſtis? In aliquo viſcere inflammato,magna & quaſi inſanabilia ex potu vini, vt 1. ad Glauc. cap.14. Galenus aſſerit. Si nocumenta proueniunt, ad quid Hepatis phlegmone, quod principale eſt viſcus, laborantem ægrum, ex potu vini inſanabilibus exponere malis. Forſan ægro indulgere volentes, non hæc omnia contemplati fuiſtis? At mortem hæc indulgentia ſi peperit, ſæuities fuit veſtra pietas.

ERRASTIS duodecimò vos omnes certam de languente præſagientes ſalutem. At Hippocratis & Galeni ſententias fuiſſetis ſi vos contemplati, ad interitum tendere ægrum veſtrum quidem extitiſſet iudicium. Superſtes manere ille non poterat: nàm Hepatis inflammationi vt 3.epid.ſect.1.ægroto 2.com. 6. Galenus fatetur,vrina ſi accedit letalis,perit homo: at primò turbidæ, deinde crudæ ſi languentis erant vrinæ cur ergo non prædicere mortem? Phlegmones vt 10.meth cap.5.habetur, tùm in Iecore, tùm in alijs principalibus partibus non ſolùm cum viribus fortibus, ſed etiam imbecillis mortiferæ eſſe ſolent: at ſenex ſi aderat languens, hinc debiles

eius

eius vires tùm ratione ætatis, tùm quòd à morbo erant labefactatæ, non ergo viuere poterat. Ex medicamento malè illi tributo, inflammatio quæ in ſola Hepatis caua aderat parte, ad totum ſi fuit Hepar comunicata, aut poſt Pharmacum manifeſtauit tumor exortus, ad quid ergo in morbi augmento ſi minuitur ſpes ſalutis, indicij ſecuritatem prænunciare?

At dicetis quòd à vobis nonniſi propè morte in languente fuit Hepatis inflammatio cognita: hinc in præſagiendo ſi erraſtis, tanta culpa digni non eſtis.

Sed nec excuſabilis eſt veſter error. Morietur ne an ſaluabitur æger, vt 3. de Criſibus c. 4. docet Galenus, eſt ęgritudinis mos aduertendus, benignus ille ſit, aut malignus: cumque prætereà, vrinarum cruditas, vt ibidem ex Galeno affirmatur, malignitatis ſit argumentum: crudæ idcircò ſi languentis perſeuerabant vrinæ, non ſalubrem eſſe morbũ, ſed malignum & exitialem, vos oportebat arguere. Hermocratis caſum in primo Duello à me deſcriptum reuocate in memoriam, & ſic triumphum non amplius antè victoriam canetis. Veſtris iactantijs quòd me contradicente, medicamento ægrum ſanaſtis, nec Muſarum applauſus, nec laurea Apollinis, ſufficiebat corona; at mortuus ſi iam eſt languens, de tàm ignara curatione, necnon de tàm ridiculo prognoſtico laudes à quo fortaſſe nunc expectatis? Illas quidem ego canerem vobis, vt ſileam mihi veſtra erubeſcentia ſi muta voce non diceret.

Nec Chiaritium imitemini, qui ſilentium non patiens hac de re opuſculum me impugnans compoſuit, quod poſtea ſi non partus, ſed abortus ſuum edit ingenium, vt vita indignum in tenebris ſepultum remanſit: eſt enim delinquere ſolitus Doctor iſte Chiaieſius, & in literarijs contumelijs haudquaquàm ſolitus erubeſcere: hinc ò eius fælicem vultum (in non apprehændendo ignominias ſi fælicitas reperitur) ò eius inquam fæliciſſimum vultum, qui ex tot ignominiæ coloribus nunquàm potuit colorari. Non ſe ipſum, nec ſuam cognoſcit ignorantiam Chiaritius: &

„ *Vlna qui caret ſuns omnis dicitur orbis:*
„ *Eſt filia inſcitiæ gloriæ vana ſui.*

ERRASTIS decimo tertiò vnanimiter omnes, vndecimo die in cubito venam illi ſecãtes. At indicatorio contemplabili die, immò & etiam decretorio, mittendi ſanguinem quæ neceſſitas erat? Auriginoſus ictericus, quia forſan erat æger iam factus, ſpirandi difficultas maior, virtus in interitu, externorum frigiditas, internorum exuſtio adeò vt clariſſimis, Hepatis inflãmatio manifeſtata eſſet indicijs, à phlegmone indicationem vos deſumentes, ex brachio ſanguinem mittere exiſtimaſtis? Ah, tardum fuit auxiliũ, *tardi vos ſuccurriſtis*.

Remedio non amplius concedebatur locus: & deſperatos non oportet attingere, ſed relinquere, & morbi finem tantummodo prænunciare. In ſanguine extrahendo fortes ſi requiruntur vires, ad quid ex moribundo, ſanguinem mittere? In cubito malè ſectam fuiſſe venam, non ego impugno: ex meis nanquè iam antea dictis, hac de re, quid ſentiam, colligere quis facilè poteſt. In Augmento præterea acceſſionis, quandò educere ſanguinem, ægrum eſt iugulare vt Celſus aſſerit, quòd ſanguinem vos eduxiſtis, non impugnatum pariter derelinquo: Salernitani etenim Medici, quòd nec etiam acceſſionem cognoſcant, Scribere verecundor. Veſtrum quod magis grauat peccatum, de tali errore Iouannis de Galdo animaduerſio fuit. Sanguinis ex illa eductione, citius ægro mortē inferri, proteſtabatur, & declamabat doctus Senex: at vos in vanum ne veſtrum caderet votum, mortem moribundo languenti, ah crudeles, non curaſtis accelerare.

ERRASTIS vltimò Medicamentum decimoquarto die exhibere iam proponentes: & æger decimotertio die infra paucas horas ab eorum conſilio, emiſit ſpiritum.

At primo Medicamento, velitis vos aut nolitis, ægrum confiteri occidiſſe, ſi effugere iam nō poteſtis, ad quid, ſecundum medicamentum conſulere? forſan de languentis morte, omnem gloriam vobis aſcribere exoptabatis: hinc vel paucam acutiei ægritudinis de tali interitu cauſam, concedere denegaſtis?

Primo Medicamento quòd ægrum vos occidiſtis, iam ſatis hoc argumento clareſcit. Hepatis nanq; inflammatio, à femellis, & tonſoribus quando cognita fuit, à vobis (ò ignominiam æternam) vna ſimul conceſſa, ante Medicamentum vel aderat, vel non aderat? Quomodocumque autem dicatur, Homicidium apertè concluditur. Si enim non aderat: ergo illam, Medicamento vos induxiſtis. Si aderat. ergo in Phlegmonis principio ægrum purgantes, tunc temporis purgare ex iam ſupra dictis, ſi eſt ægrum occidere, ægrum vos occidiſtis.

Ex primo itaque pharmaco, languenti ſi iam parabatur mortis irreparabile damnum, ad quid ergò breues eius vitæ horas, ſecundo medidamento reddere breuiores? In Iecoris phlegmone, vt 2. in 1. Prorreth. com. 58. docet Galenus, ſine ſignis coctionis, aluum fluere ſi nihil iuuat, cur ergo ſi coctionis nec apparebant veſtigia, ſecundum medicamentum ſequenti die commendare? Vires ſi in interitu erant, ad quid, aliud medicamentum proponere.

Vel forſan purgabatis illum, dicere vt vos ſoletis, tanquā Cadauer? Sed ò nouas Salernitanorum doctrinas. O nouas Salernitanorū medendi leges. Tanquam Cadauera: Salerni purgantur deſperati, & moribundi languentes. Noua hæc dogmata Græcorum? Sapientium non audita in ſæculis, ediſcite vos ò futuræ Ætates, & riſu æterno tales

Magi-

Magiſtros honorate in æternū. Nō amplius Medicæ facultatis ſe eſſe Principes iactēt Hippocrates & Galenus, nouę Salernitanis iſtis Medicinæ inuētoribus vt cedant oportet. Alia tēpora, alia corpora, alia prognoſtica, aliæ curationes, alia medicamenta, alij Cœlorū influxus, alia principia, aliæ Concluſiones, & alij deniq; Scientiarū Auctores. In Medicorū Principatu, Hippocrati, & Galeno vſq; adhùc regnaſſe ſufficiat: in docendo Æſculapijs iſtis Salernitanis, nunc derelinquant imperium. Ad iſtorū Orientem, Apollinis rutilantes ſplendores præcipitent in Occaſum. Veterum gloriæ denigratæ recedant. Conſenuit Sapientia Græca, & veteres doctrinæ ſunt iam factæ anhiles.

Noua ergo ſint omnia. Noua ſi quis ſcire exoptat remedia de Canonico Io: Andrea de Coſitore Robertellum, & Chiaritium interroget. Podagricis ſenex iſte infælix torquebatur doloribus, quando ad pedes fluxione retenta, febris eum corripuit: hinc ſemel in pede poſt ſectam venam, iterùm in altero pede, & vna ſimul in cubito ſecari venam iuſſerunt, ita vt ex duabus venis vno, & eodem tempore ſanguis efflueret. Quò ſe vertere Natura neſciens, in collapſum miſera abijt; eo modo ac ſi calcaribus pungatur Equus, trahanturque habenæ, inordinatos ille efficit motus, & collum ſub genibus flectens, poſterioribus ferris ad Cælos inuerſis, Equitem à ſe in terram pręcipitat. Sic quoq; poſt nouū illum mittēdi ſanguinis modū, ex cubiti ſectione liberalius ad principes partes retractis humoribus, & ex vtriuſq; venę in ſenili ætate extracto ſāguine, labefactata Natura, Hepaticus fluxus illi ſtatim aduenit, & Lethargicus ſenectutē cōpleuit.

Nouos pila plumbea abſq; puluere occidēdi modos, ediſcere ſi quis concupiſcit à Rocco de Gabriele Iorno hiſtoriam quærat. Tenuium inteſtinorū inflammatione. Patiēs iſte correptus erat: Mannam 2. die aſſumpſit oleū amigdalarū dulcium 3. die deuorauit, & ſemper bilioſa fœtida excreuit. Serò tertię diei, Mannā in iure Galli diſſolutā, ſorbēdam Roccus iterū cōmēdauit: & manè tandē 4. diei, ex tot homicidis remedijs, quia forſan vitā cū morte non cōmutabat languens, illi pilā plumbeā deuorādā dedit & puluerē credo addidiſſet, ab illa aſſumpta, illinc ad horam, in ſomnū niſi fortè æger concidiſſet æternum.

Noua Prognoſtica velit ſi quis admirari, de Io: Bapt. Villano, generali Salernitanæ Eccleſiæ Vicario, Robertellū expoſcat. Dyſenteria venerandus ille ſenex laborabat, cū febre maligna prauis conſociata ſignis, arditiſſima pręſertim lingua, in ſenibus quæ mortale eſt indiciū. Per 12. dies non alia quàm hęc, Robertelli fuere remedia, *Comede, & bibe quæ tibi placent, & quando placent: non enim tua hæc febris quatuor habet acceſſionis tempora, ſed ſola eſt alteratio, & iam es ſanus.* At Medicus alter caſu ad ęgrum veniens, de imminenti morte niſi illum aduerteret, tantus homo, veluti Brutū, ſequenti die expiraſſet.

De

De Horatio Borrello, alios vt derelinquam, referat tandem iſte Doctor hiſtoriam. Mortis erat poſitus languens hic in agonem, quando Robertellus accedens, & pulſum tangens, ſtes læto animo, illi dixit, virtus bona eſt, minoratiuũ aliud tibi dabo medicamentum, & ſanus eris: at non adhùc ad domus oſtium peruenerat, quòd lacrimantes audit mulieres, vltimum Horatio efflante ſpiritum. De Ianuario de Piattis, caſum pariter, Roccus enarret. Maligna languens hic affligebatur febre: & nonus cùm iam eſſet circuitus, nonæ diei vigeſimam-quartam circiter horam à multis interrogatus Roccus, Caſum reſpondit eſſe ciuilem: at mortis, infælix æger, prima noctis vigilia, in carceres abijt criminales.

Salernitanorum præterea ſexcenta, & mille infælic iſſima referre Præſagia, ægrorum memoriam ſi non ego offenderem. O quot enim, ob Medicorum ignorantiam, abſquè ſalutari pænitentia, veluti beſtiæ, periere: O quot, abſquè Sacerdote Deo animam commendante, Deo animam tradiderunt. Sed à Deo ſi regitur Mundus, ad Dei voluntatem, omnes caſus reducere oportet: hinc Dei Flagellum, in Ciuitate indoctos Medicos eſſe, eſt affirmandum. At Sacris non miſcentes profana, intrà ſilentij funes linguam fortiter perſtringamus.

Iſtorum deniquè Medicorum, ad ſalutem qui dùm præſagiunt, pereunt ægri, & mortem cùm è contrà prædicunt, ſanantur languentes, nulli cedit in præſagiendo Chiaritius: & ridiculas magis, de hoc Doctore narrarem ego hiſtorias, in Scena illas repreſentare ſi non ego diſpoſuiſſem. Gentilis ſpiritus in gratiam qui Chiaritij vaticinium ſatis doctè explicauit, de Antonio Granato hanc vnam ſolummodò referam. Sub æſtiuis ardoribus fuit iſte adoleſcens ardenti febre correptus, à Chiaritio purgatus, perijt; & extra Ciuitatis mœnia in patrio tumulo qui Diui Franciſci de Paula in Eccleſia erat quàm longè à languentis domo, Sepultus eſt. Salubrem in ægritudinis principio ſuis parentibus morbum eſſe affirmabat: propè verò interitum, ægrũ ire ad longum omnibus teſtabatur. Sequuta morte Doctorem Chiarieſium publicè deridebant, in præſagiendo Saporitas quiſque de Chiaritio narrans hiſtorias: quandò in Sapientium colloquio ſic ingenioſus reſpondit ſpiritus. Quæ mala de Chiaritio dicitis, ſi eius vaticinia à veſtrum nullo intellecta fuere? Æger, dixit, ibit ad longum, non ægritudo: & veriſſima quidem dixit; ex languentis nanquè domo ad patrium tumulum, quàm longa nimis aderat via.

Nonam præterea, famoſiſſimi Medici ad comparandam famam, ſi quis cupiat artẽ, à Salernitanis iſtis, illam edicat. Tria, aut quatuor exhibere Syrupia: ſanguinem ex cubito bis, aut ſemel educere: minoratiuum pharmacum, aut ſaltem ex Reubarbaro, & Manna, vel ex Manna ſola, abſquè medicamento ne mori æger dicatur, ſtatim tribuere:

buere:

buere: hyrudines deindè venis ſedis applicare, nouæ iſtius diſciplinæ non alia quam hæc ſunt dogmata Viuus poſteà ſi remaneat æger, illum denuò purgare, & repurgare oportet, ſyrapia iubere magiſtralia & aera deniquè vt languens mutet, commendare: nouæ huius doctrinæ, irrefragabilia iſta ſunt documenta. Græcorum veteri Medicinæ quàm longè noua iſta Salernitanorum medendi Ars antecellit. Nunquàm moritur æger, iuxtà antiqua facultatis huius decreta, ſine Medici infamia: nunquàm moritur æger, iuxtà nouas medendi has leges, ſine Medici gloria. Purgatus cùm moritur æger, quòd illum ſua Sors peremit, cùm non alia potuiſſent fieri remedia, indoctus declamat Vulgus: non eſſet mortuus, medicamentum ſi ille aſſumpſiſſet, viua voce coaxant omnes. Purgando quò plures ægros occidit, eò Medicus glorioſior euadit. Lacrymabiles mille ægrorum, & mille, letaliter cùm non ægrotarent, aſſumpto Pharmaco euidenter occiſi qui periere, ego dicerem caſus: ſed Mortuorum funeralia an ne mea Scripta deuenient? Canibus an ego dirigam crura? Mortui non conqueruntur, Viui non curant, quid ergo ad me de illis? *Et crimine ab vno diſce omnes*: à Pepoli hiſtoria, aliorum ægrorum omnem aliam vnuſquiſque colligat curationem. Indoctis ſe concredere Medicis, talis culpæ, veluti Bruta mori, languentium hæc ſit pæna. Iactabundis ſi creditur, Adulatores ſi amantur, Hiſtriones ſi honorātur, ægros in poſterum aduletur: Hippocrati nec ſe cedere iactet: at infrà paucos dies promittendo ſalutem Hiſtriones imitetur, vulgares qui concupiſcit glorias. Mundus vult decipi, decipiatur.

Scribendi ergo hic detur ſtatus. Literario in Duello ſic ò Caphare meū obtuli pectus. Sic ſcientifica iacula contrà te, & alios ego inieci. Se vulneratum ſi quis credit, reſponſionis vnguenta applicet plagis. Reſpondeat pręſertim Chiaritius: infinitis honoribus, ſi benè reſpondebit, qui illum afficiet, meus calamus erit primus: at vel nullam, vel indoctam ſi proferet ipſe reſponſionem, ſuæ iactantiæ in pænam, puerorum in Scena deueniet ille traſtullus. Impugnent me quæſo & alij: ac inimicis ingenijs amicè veritatem quęramus. Non omnia ſcimus omnes. Studijs per longum vitæ ſpatium cùm Philoſophus ille vacaſſet, *Scio*, dixit tandèm, *me nihil ſcire*. Circulus, & calamus me Doctorem fecerunt, Caietanus de ſe ipſo affirmabat. Doctum ſe exiſtimare, caudam eſt retrò tenere. Apud Vulgum pariūt quidem iactantię honorem, ſe apud doctos irriſionem. Scribentis vel ſapientiam, vel ignorantiam loquaci, muta ſcripta manifeſtant ſilentio. Ruborem iactabundis vultibus imponunt nigri caracteres. Inſudant torcula inſipientium æternos vt reddant errores. Neſcit vox ſcripta reuerti, & Horatius vt dixit „ *Quod ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.*

Eia

Eia ergo ingenioſi ſpiritus,gloriæ quorum pectora ſtimulatur cupido.Literariam me me adſum qui quæro arenam. Contrà me ſtringite calamos. Nigris in caracteribus meum,ſi poteſtis,denigrate nomen.Vincam ego aut victus cadam,ęqualis mihi gloria erit,in fortiter pugnantibus,in vulnerante,& vulnerato gloria ſi non eſt inæqualis.Perſpicacium ingeniorum peregrinas admirabor ego ſententias. Virtus inimicis etiam,in reuerentia eſt, ſapientes, velit quiſque aut nolit,non laudari non poſſunt. Premuntur docti non opprimuntur. Loquitur de ſe ipſa virtus: nec virtutis eſt in fundo iacere. Sapientium honoris flamma calumniarum vento excitatur, & creſcit. Aurum igne perficitur: & portum ex Aquilonis ira quàm citiſſimè attingit Nauis.

Proficiſcere itaquè ò liber. Literarium Salernitanis iſtis,necnon & omnibus alijs, contrarias vel qui defendunt ſententias, vel glorias, diſputationis in arena, illorum quicunque ſi comparare ſit vagus, hoc annuncia Duellum. At eadem, qua & ipſi pugnantes, Duelli Nuncius ſi pœna punitur, ſilentij in carceres ne ducaris aduerte: in illis ne ſuffoceris,vereor:& tecum meum pereat nomen: tecum ego ne viuam, ſi mea Fata volunt. Pauca in re vt deſinat, nunquàm incipit Fortuna. Ex Aurora arguitur Dies. Libera ſi fuere tibi negata natalia, libera tibi quoquè negabitur vita. At ærumnis ſi perficitur Virtus „ *Tu ne cede malis,ſed contrà audentior ito*. Nimis loquax tuum erit ſilentium. Non de me triumphabunt,ad ſilentij tenebras te condemnando. In calamorum conflictu poſt victoriam triumphus ſolummodò canitur. Ingenia non tenebræ denigrant, ſed ſpleudidior in illi ſapientia,effulget. Nubium ſub velamine pulchrior ſæpè ſæpius Sol ipſe coruſcat. Poſt tenebras ſpera lucem. Omnium rerum viciſſitudo eſt immo in tragedia Thyeſtes vt Seneca dixit,

„ *Nulla ſors longa eſt: dolor, ac voluptas*
„ *Inuicem cedunt, breuior voluptas.*
„ *Ima permutat breuis hora ſummis,*
„ *Nemo confidat nimium ſecundis,*
„ *Nemo deſperet meliora, lapſus,*
„ *Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho*
„ *Stare fortunam, rotat omne Fatum.*

F I N I S.

1244

14.
9
4